



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

Liber Decimustertius. De octavo decalogi praecepto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

INSTITUTIONVM
 MORALIVM
 PARTIS TERTIAE
 LIBER DECIMVS TER-
 TIVS.
 DE OCTAVO DECALOGI
 PRAECEPTO.

PRimo notandum, hoc praecipio principaliter prohiberi omne falsum testimonium, dictum contra Proximum, ut docet S. Thomas 2. 2. quaest. 122. artic. 5. ad 2. Secundario vero prohibetur etiam hoc praecipio omnis significatio inordinata verborum, signorum, factorum, qualia sunt mendacia, contumeliae, susurrationes, derisiones, detractiones, & alia huiusmodi. Sic etiam prohibentur libelli infamatorii, adulationes, iudicia temeraria, de quibus est singulatum tractandum.

Secundo notandum, omnia peccata, quae contra hoc Praecipium perpetrantur, ad tria capita, seu genera reduci posse. In primo genere continentur omnia peccata, quae committuntur contra famam, vel honorem proximi per detractionem, contumeliam, vel derisionem. In secundo genere continentur omnia peccata, quae in iudicio temerario consistunt, In tertio genere continentur omnia peccata, quae in iudicio publico contra proximum per falsi criminis impositionem committuntur, qualia sunt peccata testium, iudicum, reorum, scribarum, notariorum, aduocatorum.

Tertio notandum, in hoc praecipio etiam esse differendum de obligatione regendi, aut detegendi secretum, & de peccatis, quae in prodendis secretis admittuntur.

De Mendacio.

CAPV I.

PRIMO notandum, mendacium posse sumi dupliciter, nimirum late, & strictè, siue proprie. Late acceptum, conuenit non solum uocibus, quibus, ut rerum signis, & notis in sermonibus utimur, sed etiam nutibus, & rebus ipsis, & factis, quibus tanquam signis aliquando, ut solemus ad aliquid aliud significandum, ac ita ad mendacium rediguntur, hypocrisis, fictio, fabula, simulatio, fraus, insidia. Strictè acceptum mendacium, conuenit solum uocibus, quas, ut rerum notas in sermone usurpamus.

Secundo annotandum ex Bonau. Gabriele, & aliis; sermo communiter, & refertur ad rem, & ad intentionem loquentis. Ut refertur ad rem, cuius est signum, & nota, dicitur verus, vel falsus. Verus quidem, cum adaequatur rei, hoc est, quando cunq; res ita se habet, sicut sermo significat. Falsus uero, cum non adaequatur rei, hoc est, quando res aliter se habet, quam sermo significat; ut uerò sermo refertur ad intentionem dicentis, tunc homo dicitur uerax, vel fallax in loquendo. Verax, quando is, qui loquitur, solitus est credere, & intendere id, quod sermo exterior sonat: fallax uero, quando aliud credit, & inten-

dit, quam exterior sermo significat. Ex quo sequitur, ut quis dicendo uerum, possit esse fallax, & mendax homo, & dicendo falsum, possit esse uerax, ut docet Augusti, libr. de mendacio. c. 3.

Tertio notandum, mendacium strictè, & proprie sumptum, esse dictum, quo aliquid contra id, quod mente, & animo credimus, siue habemus, affirmamus, vel negamus. Vnde ad mendacium non solum sufficit falsum dicere: nam, si falsum dicamus, putantes nos uerum dicere, non mentimur, sed fallimur.

Requitur ergo, ut dicamus aliquid contra id, quod animo, & mente concipimus, & credimus. Vnde si uerum dicamus, putantes nos falsum dicere, mentimur, quia loquimur contra id, quod mente credimus. Augusti. loco citato.

Si roges, An ad mendacium requiratur, ut sit dictum ex intentione fallendi audientem? id enim docere uidetur Augustini. lib. de mendacio. c. 3. & 4. & Gratianus. 22. quaest. 2. cap. Beatus. & ille, aptè ait: Mendacium est significatio ueris cum uoluntate fallendi. Respondetur, non requiri, sed satis est, ut sit dictum contra id, quod mente credimus, quando loquimur, siue intendamus alium audientem decipere, siue non.

Si roges, An ad mendacium requiratur, ut sit dictum ex animo, & intentione dicendi? Respondetur, requiri: hoc est,

hoc est,

hoc est, quod aliqui docent ad mendacium requiri, ut in dictum ex intentione fallendi audientem: nam nihil aliud videtur docere, quam mendacium esse, dictum ex intentione decendi falsum, & hoc sensu intelligitur Augustinus. & Gratianus supra citati.

Quod notandum, mendacium communiter dicitur in iocolum, officiosum, & perniciosum: iocolum est, quod dicitur gratia ioci. & oblectationis: officiosum est, quod ratione vultus propriæ, vel alterius dicitur, quodque alicui prodest, & nulli nocet. Perniciosum est, quod damnum infert dicenti, vel audienti, vel alteri, de quo sermo est. Sa. Thom. 2. 2. q. 110. artic. 2.

Quod notandum, latè mendacium acceptum esse signum aliquod exterius representans aliter, quam credit, & intendit is, qui vitur eo.

Dubium, an aliquando liceat mentiri, nimirum pro bono aliquo magno assequendo, vel tuendo, aut confirmando, vel pro malo aliquo proprio, vel alieno devitando, nimirum pro seruanda vita, vel fama, salute, vel honore innocenti, item pro occultando aliquo virtutis bono, gratia humilitatis? Respondetur, licet fuerit quorundam, & Gentilium, & Christianorum opinio, licitum esse aliquando mentiri, nimirum in his casibus, qui in dubio proposito referuntur; nihilominus tamen est communis omnium Theologorum, & Canonistarum opinio, nunquam esse licitum mentiri, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 110. artic. 4. Et videtur colligi ex cap. super eo de V. iuris, & c. faciat, & c. Signis. c. causa. cap. Nequis 22. q. 110. Augustinus scripsit librum vnum de mendacio ad Consentium, & alterum contra mendacium ad eundem, in quibus ostendit falsam hanc esse opinionem: etiam ratio id probat, quia non sunt facienda mala, ut inde veniant bona: ergo non est mentiendum, ut vitam alterius conserues.

Si obicitur, Furari est per se malum, & tamen licitum est accipere alienum, ut extreme necessitati alterius succurramus: ergo etiam erit licitum mentiri, ut alium per nos extremo vitæ periculo liberemus. Respondemus, esse discrepantiam rationem, quia in extrema necessitate temporalia bona, sunt communia, quo ad vsum. Item si in extrema necessitate alienum accipitur, non accipitur invito domino rationabiliter, nam in eo casu quisque debet suo proximo succurrere; at verò in sermone aliquid contra mentem dicere, cum sit reuera mendacium, non excusatur, eo quod quis mentiatur, ut alium à morte liberet: sicut etiam non excusatur, si quis furetur, vel per vltimum aliquid accipiat, ut det elemosinam: non enim, quæ sunt per se, & ex natura sua mala, excusantur à causa, ex eo quod ex bona intentione referantur in bonum finem alicui enim ex bona intentione finis, electio medij, quod est per se malum, excusatur, quod est absurdum.

Dubium secundum, An omne mendacium sit mortale peccatum? Respondetur, ex communi omnium sententia mendacium iocolum, quod nulli nocet, esse duntaxat veniale peccatum. Item officiosum mendacium solum esse veniale. Perniciosum verò, ex natura sua esse mortale, fieri tamen veniale ex accidenti, nimirum ex leuitate materiz, item ex imperfectione actus, hoc est, quando non est plenè deliberatum.

Dubium tertium, An mendacium omne in confessione sacramentali dictum, sit mortale peccatum, siue quis neget se fecisse veniale, quod fecit, siue affirmet se fecisse quod non fecit.

Dux sunt opiniones, Prima asserit, in vniuersum esse mortale peccatum. Caueranus 2. 2. q. 110. a. 1. ad 3. & in summa, verbo confessio. condit. 4. huc potius accedit Tabien confessio 2. q. 110. Armilla verbo confessio sacramentalis, § 3. Ratio horum est, quia sit magna iniuria sacramento, quoniam in confessione ponitur, ut materia id, quod est falsum. Secunda opinio ait, non semper esse peccatum mortale, ut puta si sit leue ex materia: sic Victoria De sacramentis Tract. De confessio. num. 170. Soto. lib. de iust. 3. q. 110. artic. 1. ad 2. & in 4. d. 18. q. 110. 2. a. 4.

Syluester, c. 1. q. 110. quasi 8. Angelus confessio sacramentalis 1. num. 6. & 7. Nauarrus de venit. Dist. 1. c. 1. q. 110. num. 12. & sequenti. In hac re certum est, quod omnes mendacium esse veniale peccatum, quando non est ex plena aliqua deliberatione dictum, etiam in confessione sacramentali. Tota difficultas est, an mendacium scienter in confessione sacramentali dictum, sit veniale peccatum ex leuitate materiz. Et in hoc consistunt duo superiores opiniones.

Secunda opinio est probabilior: nulla enim est ratio, qua demonstratur, prædictum mendacium esse mortale peccatum, nam cum sit leue, non infert sacramento magnam iniuriam.

Si quartas, an sit mortale peccatum, si quis in confessione scienter confiteatur peccatum veniale, quod non fecit? Paludanus in 4. Dist. 21. q. 110. artic. 1. videtur docere esse mortale peccatum, quia facit esse materiam sacramenti id, quod non est. In hac re est cum distinctione loquendum: si quis vnum tantum veniale peccatum confiteatur sacramentaliter, si scienter illud peccatum sibi falso imponat, & scienter nihilominus absolutionem sacramentalem recipiat, tunc is peccat mortaliter, non quidem ratione mendacii, quod cum leue sit, semper est veniale peccatum, sed propter sacrilegium, quod committit, nimirum recipiendo absolutionem sacramentalem absque illa materia sacramentali. Si verò cum illo peccato veniale, quod sibi falso imponit, ex confiteatur verè alia peccata siue venialia, siue mortalia, tunc ille non peccat mortaliter, qui tunc eo casu adest legitima sacramenti materia, & mendacium solum est leue.

Si secundo roges, an si quis faciat confessionem generalem suorum omnium peccatorum, & neget in confessione aliquod veniale peccatum, quod verè commiserit, aut neget aliquod mortale, quod alicui in alia confessione sacramentali est verè, & legitime confessus, & à quo est legitime absolutus, peccet mortaliter? Respondetur, non esse peccatum mortale, quia est mendacium vel de re, nimirum de peccato veniali, vel de re ad eam confessionem non pertinenti, ut est peccatum mortale, alias legitime in confessione detectum, & per absolutionem remissum. Sic Nauarrus de penit. Dist. fratres 5. nu. 24.

Amplius si roges, an si quis decernat se aliquod veniale peccatum confiteri, quod non fecit, & deinde ex ea deliberatione confiteatur se illud peccatum fecisse, mortaliter peccet? Nauarrus loco citato num. 27. Caueranus in summa loco supra dicto secutus, videtur docere istum mortaliter peccare, si confiteatur ex illa deliberatione: secus verò, si mentis propositum mutet, nimirum, si illud veniale peccatum in confessione dicat ex alia animi intentione.

Hæc Nauarrus sententia est obsecra. Eius sensus videtur esse, quod si quis dicat, se fecisse aliquod veniale peccatum, quod non fecit ea animi intentione, ut illud in confessione fateatur, tanquam materiam propriam confessionis, ut super illud absolutionem accipiat, esse peccatum mortale, & hoc verum est, quia in hoc casu facit materiam confessionis, quæ non est materia. Si verò illud confiteatur ex alia animi intentione, & alia peccata confiteatur vbi esse peccatum mortale, quia non dicit illud, ut materiam propriam confessionis.

Quod si obicitur; Saltem recipit absolutionem ab illo, nam sacerdos absoluit ab omni peccato auditio in confessione: Respondetur, Sacerdotis intentionem solum esse absoluendi omni peccato auditio, quod sit materia illius confessionis: sicut si sacerdoti consecrandi proponeretur multi panes, inter quos esset aliquis non triticus, tunc licet super omnes verbum consecrationis proferat, solum est eius intentio profetendi super panem triticum. Sic Nauarrus loco citato num. 37.

Si tertio roges, an si quis dicat sacerdoti, se generalem omnium suorum peccatorum confessionem facere, & deinde scienter neget certum veniale peccatum, quod fecerat, vel certum mortale peccatum, quod alias fuerat legitime confessus

confessus per confessionem sacramentalem, peccat mortaliter. Sicut, qui id affirmat, quia in principio confessionis dicit se velle facere generale omnium peccatorum confessionem, & deinde non facit, decipiendo sacerdotem. Sed dicendum est, hoc mendacium non esse peccatum mortale, quia non decipit sacerdotem in re gravi: non enim tenetur singula venialia, nec mortalia alias legitime in confessione detecta, & per absolutionem remissa, confiteri iterum.

Sequitur ex dictis non peccare mortaliter, si quis in confessione dicat alia mendacia leuia ad ipsam confessionem non pertinentia, vel non facientia, V. g. si dicat se esse diuitem, cum sit pauper, vel nobilem, cum sit ignobilis, vel otiosum ab hoc, vel ab illo, vel illo loco, cum tamen non sit. Nauarrus loco citato num. 23.

Sequitur secundò, non esse peccatum mortale in eo, qui confitetur se commississe aliquod mortale peccatum, quod non fecit, si id faciat bona fide, putans se in hoc non male facere, aut se sequi in hoc tutiorem confitendi viam, quoniam putat melius esse, se plurimum accusare in confessione. Sic Nauarrus loco citato num. 26. & 27.

Dubium quartum, An omne mendacium, etiam leue, scienter dictum in iudicio, sit mortale peccatum? Dux sunt opiniones, Prima affirmat, quæ est Caietani 2. 2. questio. 67. artic. 1. ad 3. & 9. 110. artic. 4. ad finem. Eiusdem sententia videtur esse Syluester verb. Mendacium §. 3. Armilla eodem verbo num. 2. Antoninus par. 2. tit. 10. cap. 1. §. 3. Probat Caietanus, quia S. Thomas 2. 2. q. 69. articulo. ait, omne mendacium in iudicio contra ipsum iudicium, dictum, esse peccatum mortale.

Opinio secunda ait non esse mortale peccatum. Sic Nauarrus de penitentia dist. 3. cap. fratres num. 20. & in Manuali, cas. num. 3. Couarrua lib. 1. Variarum resolutionum. c. 1. nu. 2. Sotus de ratione regendi, & detegendi secretum, memb. 2. quest. 7. Conclus. 2. & lib. 3. De iustitia, questio. 6. artic. 1. in fine, Imola, Alexander quos citat Couarrua loco citato. Et hæc sententia est verior, quia cum sit mendacium in materia leui, non sit magna iniuria iudicio. Vnde sequitur, vt iudex, qui dum iudicat, misceat mendacia leuia, non pertinentia ad iudicium, non peccet mortaliter. Et idem est dicendum de teste, aut parte litigante, aut ait Nauarrus loco citato, num. 31. & Couarrua 2. 2. q. 10. art. 4.

Dubium quintum, An quanto, & in quibus casibus mendacium sit mortale peccatum? Respondetur esse.

Primo in materia, siue rebus Fidei Catholice. V. g. Si quis scienter dicat aliquid contra scripturam sacram, vel contra traditionem Fidei, vel contra definitionem vniuersalis Ecclesie, vel Concilij generalis, aut prouincialis, confirmati ab Ecclesia, S. Thomas 2. 2. questio. 110. artic. 4. & Caietanus ibidem. Nauarrus Manuali cap. 18. num. 4. Syluester verb. Mendacium num. 3.

Secundò, in rebus pietatis, & cultus diuini. V. g. si quis fingat falsas reliquias, vel falsa miracula. S. Thomas 2. 2. quest. 110. artic. 4. ad 5. & Caietanus ibidem, Nauarrus De Penitentia Distinct. 5. cap. Fratres num. 14.

Tertiò, in rebus doctinæ. V. g. quis doceat, vel consulat scienter aliquid, bonis moribus repugnans, nimirum, quod aduertere vel legi naturali, vel Diuina, vel Ecclesiastica, vel civili, vel consuetudini vim legis habenti, aut si quis doceat sententiam contra communem sanctorum omnium auctoritatem, si eam doceat temere absque vlla ratione firma, aut probabili.

Quartò, quando quis scienter dicit mendacium cum graui proximi damno, nimirum vite, aut salutis spiritualis, vel corporalis, vel libertatis, vel famæ, vel honoris, vel bonorum temporalium.

Quintò, quando quis mendacium, etiam si leuissimum, iuramento assertorio confirmat, vt est communis omnium Doctorum sententia. Et hoc intelligitur tam in iuramento assertorio, quam in promissione, si vt assertoria sunt, V. g. iurat, quis se facturum, vel non facturum rem aliquam leuem, si iuret mendaciter, hoc est, sine animo, & intentione

faciendi id, quod iurat, peccat mortaliter, quia deesse intentionem faciendi id, quod iuramus, est deesse veritatem in eo, quod asserimus.

Dubium sextum, An prædicator peccet mortaliter, si scienter in officio prædicationis mendacium dicat in leui materia?

Dux sunt opiniones, prima asserit, eum peccare mortaliter, quia quantumvis sit leue mendacium, facit tamen magnam iniuriam officio prædicandi, quod exercet: sic Syluester verbo Mendacium quest. 4. Caietanus in Summa, verbo ad Mendacium, Nauarrus in Manuali, cap. 18. nu. 3.

Secunda opinio ait, non peccare mortaliter. Angelus Mendacium num. 4. Rosella eodem verbo num. 8. probant, quia cum leue sit mendacium, consequenter sequitur, vt iniuria sit etiam leuis. In hac re certum est apud omnes, mendacium in prædicatore ex imperfecta animi deliberatione esse duntaxat veniale; qualia possunt esse mendacia per obliuionem, vel incogitantiam etiam culpabilem, leuiter, vel, vt legitur loquuntur, per leuem, vel leuissimam culpam.

Secundò, certum etiam est, mendacia leuia, & non pertinentia ad officium, esse venialia tantum, licet in prædicatione dicantur. Tota difficultas est, an sit mortale mendacium in leui materia, scienter dictum in his, quæ pertinent ad officium prædicatoris, & in hoc consistunt dux supradictæ opiniones contrariæ. In hoc certum est, esse mortale peccatum, si quis prædicasset scienter noua miracula, falsas indulgentias, fictas sanctorum vitas, falsas doctrinas, vel consilia, commentitias sanctorum reliquias, & similia, etiam si ista singula alioqui essent parua, V. g. parua reliquia, parua indulgentia.

Si tamen roges, an peccet etiam mortaliter, si quis prædicando alleget aliquid scienter, vt dictum in certo capite scripturæ, quod tamen alio capite continetur scripturæ: vel si allegando scienter dicat esse testimonium Augustini, quod tamen est Hieronymi, vel alterius similis patris: certe huiusmodi mendacia non videntur esse de his, quæ pertinent ad officium prædicatorum: quia dummodo testimonis, quæ citantur, sint reuera ex scriptura sacra, parum refert ad populi instructionem, sint ex hoc libro scripturæ, vel ex illo, item sint ex hoc capite, vel ex illo, item si testimonium est Hieronymi, vel Augustini, non multum refert, si citetur, vt Ambrosij, vel Gregorij Magni, & idem dicendum est in similibus casibus: ita expresse docet Caietanus 2. 2. quest. 110. artic. 4. ad finem.

Notandum est, in huiusmodi mendaciis aliquando posse esse mortale peccatum per accidens, ratione contemptus, vel scandali in populo.

Dubium septimum, An sit mortale peccatum in Doctore, qui publice docendo, mendacium scienter dicit in re leui. In hac etiam re sunt dux etiam opiniones, sicut in præcedenti dubio, sed tota huius dubij difficultas resoluenda est eodem modo, quo resoluta est difficultas præcedentis dubij.

Dubium Octauum, An mendacium scienter dictum in re leui sit mortale peccatum in viro graui, nimirum magnæ auctoritatis, vel ob doctrinam excellentem, vel ob dignitatem, vel ob vite perfectionem, & sanctitatem. Fuerunt aliqui, qui dixerunt in huiusmodi viro esse mortale peccatum ob grauem personæ circumstantiam. Verum huiusmodi opinio communitè refutata, vt videre est, apud Angelum, Rosellam, Tabicam, Syluestrum in verbo Mendacium, & merito, quia in hac re circumstantia personæ non ita auget malitiam mendacij, vt ex veniali faciat mortale, nisi accedat ratio, vel contemptus, vel scandali, vel iniuriam.

De Mendacijs, qua in promissionibus
committuntur.

CAPVT. II.

DVBIUM est, quo modo in promissionibus mendacium committatur? Respondetur, Quando quis promittit se facturum, vel non facturum aliquid, & non habet animum faciendi, mentitur. Item si non habeat animum se obligandi nec promittendi, mentitur. Item quando quis dicit se facturum aliquid sine animo faciendi illud, mendacium est.

Si roges, quando quis in huiusmodi promissionibus habet animum faciendi, quod promittit, & tamen postea non praestet, cum posset commodè facere, an sit mendacium? quod est querere, an sit proprie mendacium non praestare fidem, aut promissionem semel datam? Respondetur, non esse proprie, & strictè mendacium, sed fidei, vel promissionis violationem, & ita, qui fidem non seruat, dicitur infidelis, non mendax: nam mendacium proprie consistit in afirmando scienter, vel negando, quod aliter se habet. Is verò, qui frangit fidem, solum facit contra id, quod promissit, in quo est infidelis.

Sequitur primò, ex dictis, quid sit dicendum, si quis roget an sit peccatum, si quis promittat se aliquid mali facturum? nam siue habeat intentionem faciendi illud, siue non habeat, peccat, sed diuerso modo? quoniam, si non habet intentionem faciendi, mentitur in promittendo: si verò habet intentionem faciendi, peccat non quidem mentiendo, sed in male promittendo, quia promittit se facturum malum. Vnde consequenter promissio erit mala venialiter, vel mortaliter iuxta grauitatem mali, quod factum se promittit.

Secundò sequitur, quid sit dicendum de his, qui dicunt, vel promittunt se facturos aliquid, quod certò sciunt, vel vident se non posse facere, cum vel sit impossibile ex se, vel saltem cum ipsi id praestare non possint.

Tertiò colligitur, quid sit dicendum de his, qui mentuntur, vt admittantur ad hospitalia, collegia, seminaria, Religiones, Cathedras, gradus, honores, officia publica, vel Ecclesiastica beneficia: nam cum ad singula ista ex legibus, vel statutis requirantur in admittendis personis certae quaedam qualitates, vel conditiones, aliqui fingunt se habere illas qualitates, cum tamen non habeant: tunc in his non solum est peccatum mendacij, sed etiam fraudis, & iniustitiae. Finge V. g. esse hospitale erectum, & dotatum per alendis Italis hominibus, & quidam fingit se Italem, cum reuera non sit, non solum mentitur, sed etiam contra iustitiam peccat. De restitutione verò diximus in Tractatu de restitutione, in communi. Si queras, Quid, si Collegium, vel Seminarium sit institutum pro admittendis his, qui nullum patrimonium habent, aut annuos redditus, an possit admitti is, qui patrimonium suum, aut redditus renuntiat, vt admittatur? Respondetur, videndum esse, an renuntiatio sit ficta, id est, ea intentione, vt iterum sibi restituatur ex obligatione bona renuntiata, ita vt donatio sit reuocabilis cum pacto de retro donando: & tunc non potest admitti, quia se ipsa patrimonium habet, aut redditus annuos; solo enim nomine caret his bonis, non re. Si verò renuntiatio facta est vere, & realiter, & irreuocabilis, sine vilo pacto de retro donando, tunc iste potest admitti, quia verè caret patrimonio, aut redditibus annuis. Nauarrus in *Manuali. cap. 18.*

num. 8. & cap. 17. nu-
m. 107.

De Mendacijs, qua committuntur verbis
aequiuocis, aut sermone amphy-
bologico.

CAPVT. III.

DVBIUM est, quando liceat vt sermone aequiuoco, & amphybologico. Respondetur ex communi sententia omnium; quando iure rogati, ad respondendum obligamur, tunc non licet nobis verba, quae dicimus, in alio sensu accipere, quam accipiat is, cui respondemus; quoniam cum ius ille habeat interrogandi, nos obligamur ad respondendum iuxta sensum, & mentem ipsius, a quo ipsi iniuriam facimus.

Secundò, quando interrogamur ab aliquo contra ius, vel propter ius, tunc licet est nobis vt sermone aequiuoco, ita vt licetè possimus sermone nostrum in alio sensu accipere, quam sit is sensus, quo accipit ille, qui interrogat nos, & cum praeter ius, vel contra ius interrogemur, minime obligamur conformare mentem, & sensum nostrum cum mente, & sensu interrogantis.

Dubium secundum, An in communi conuictu hominum licetè possimus vt sermone ambiguo, cum loquimur? Respondetur, si reuera verba sunt ambigua, vel ex significatione ipsorum, vel ex modo, quo illa dicuntur, tunc licetum est verbis ambiguis, quoniam non mentimur, cum in sensu verò, quem verba faciunt, accipiamus: nec facimus iniuriam his, quibus cum loquimur, quoniam ipsi etiam possunt accipere verba in eodem sensu, in quo nos loquimur: quod si in alio accipiant, sibi imputent: nos enim iure nostro vtimur, cum non obligamur ad loquendum in eo sensu, ad quem ipsi verba accipiunt, alium sensum habentia secundum nos.

Dubium tertium, An sit mendacium vt sermone aliquo, qui ex significatione sui vnum tantum significat, in quo nimirum sensu sermo est falsus, ex aliquo tamen mente nostra, vel animo retento, sermo sit verus. V. g. pete Titius à me, vt illi commodem librum, vel mutuem aliquas pecunias, quod charitatis officium possum ego commodè praestare, & nihilominus respondeo me non habere illum librum, vel pecunias: qui quidem sermo in se est falsus, quia reuera habeo, & possum sine incommodo commodare, vel mutuare: & licet sermo aequiuocatione careat, ego tamen animo intello aliquid, quod mente adijcio, nimirum non habeo, quod tibi debeam commodare, vel mutuare: & ita sermo sit verus ex eo, quod mente adijcio aliquid. Est dubium, an sit licitum hoc sermone vt in communi hominum consuetudine? De hoc dubio, tractauimus supra in secundo Praecepto Decalogi contra Quartam sententiam. Vbi breuiter duo diximus, quae in praesentia resoluimus.

Primò, quando nobis aliquid detrimenti, vel iniuriae, vel incommodi inferret, licitum est nobis hoc sermone vt, & in hoc conuenimus cum Nauarro.

Secundò, quando eoque nobis nihil detrimenti, vel incommodi inferret, sed potius charitatis officium denegamus alteri, tunc non est licitum nobis hac tergiversatione vt, quia huiusmodi tergiversatione omnia mendacia excusari possent. Item è medio tolleretur humana conuersatio, & charitas inter proximos. Item voces sunt introductae loco rerum, ergo non licet eas aliter accipere, quam sint ex sua significatione, institutae. Cum igitur voces non sint aequiuocae, debemus eas accipere in sensu, quem faciunt ex hominum institutione, ex qua significant.

Dubium quartum, An sit mendacium in sermone tropico, seu Metaphorico, aut figurato; item in recensendis fabulis, maxime ad persuadendum aliquid boni? Respondetur, in sermone tropico non esse mendacium, quia voces tropicè sumptae significant verum, & tunc non accipiuntur à nobis ad significandum proprii sensum, sed eum, quem

voce per metaphoram, vel translationem significant.

Secundò, si fabulari narremus, vt res vere gestas, tunc non est licitum nobis eas recensere etiam ad persuadendum aliquid boni, quia sunt mendacia. Si verò eas referamus, vt fabulas, tunc est licitum, quia eas alluimus ad aliquid aliud significandum, in ipsis tanquam in quibusdam typis, & signis adumbratum.

Dubium quartum, An sit mendacium rem dubiam, & incertam, tanquam veram, & certam asseuerare? Respondetur, si eam asseueremus tanquam certam, mentimur, quia quod dubium est, scienter asseueramus esse certum.

Secundò, si eam asseueremus, vt veram, non quidem mentimur, quia fieri potest, vt sit vera, sed nos ipsos exponimus periculo dicendi mendacium, quia potest esse falsum, cum sit dubium.

De Mendacijs, quæ in factis, vel signis consistunt.

CAPVT IIII.

DE his lege Nauarrum in *Manuali, cap. 13. num. 8. Sa. Thom. 2. 2. question. 111. Caieta. in summa, verbo. hypocrisis.*

Notandum Primò, hypocrisis esse simulationem, quia quis fingit se esse sanctum, vel bonum, cum non sit, & hoc potest fieri dupliciter.

Primò, cum quis factis præ se fert sanctitatem, quam non habet.

Secundò, quando quis, vt bonus appareat, peccatum occultat, quod habet.

Notandum secundò, simulationem esse, quando quis vitat re, vel facto aliquo, tanquam signo ad significandum aliquid aliud, quam ipse intendit.

Dubium, quando hypocrisis sit mortale peccatum? Respondetur, ex communi omnium sententia, tunc esse, quando quis fingit sanctitatem, vel vitæ integritatem contra caritatem Dei, vel proximi, hoc est cum notabili damno proximi, inimicum, vt assequatur beneficium Ecclesiasticum, vel officium publicum, vel aliam quamcunque dignitatem honorificam: cum tamen aliqui sit indignus. Item si quis fingat vitæ bonitatem, vt impudè possit doctrinam continentem seminare, & alios seducere, Caiet. Nauarr. loco citato.

Dubium secundum, An sit peccatum mortale, bonitatem vitæ fingere, vt quis elemosynas vberiores assequatur, item si quis fingat pauperem suæ egestatem, vt sibi ampliores elemosynas contingat? Respondetur. Primo, si quis sufficientia bona habeat ad vitæ sustentationem, peccat mortaliter, si pauperem fingat, vt elemosynas extorqueat: quia huiusmodi simulatio est in re graui. Si verò quædam obligetur ad restituendas elemosynas acceptas pauperibus, vel his quibus de derunt, diximus de hoc dabitur in *Tractatu, de Restitutione in communi.*

Secundò, si quis reuera indigeat elemosynis ad vitæ subsidium, non peccat mortaliter, si fingat vitæ bonitatem solum, vt elemosynas obtineat, ex quibus possit vivere: quia cum reuera sit pauper non est situs grauis, si vitæ bonitatem fingat, at verò erit peccatum mortale, si huiusmodi bonitatem simulet, aut vulnera, vel morbum, aut pauperem maiorem, quam habeat, vt assequatur maiores elemosynas, quam sint necessaræ ad commodam eius sustentationem, huiusmodi enim simulatio est, in re graui.

Dubium tertium, An aliquando liceat vt simulatione? Respondetur, aliquando licere, ob iustam causam, & rationem: nimirum in re militari: sunt enim insidie militares, quibus inuicem hostes sese solent decipere, & sunt insidie vtriusque parti belligeranti communes. Item in ludo collatores solent vt quibusdam fraudibus inter se uelutim, vt explectimus in *Tractatu, de Restitutione ex delictis, cum ageremus de ludo.*

Secundò simulatio est licita, quando nulli nocet, & plerimum prodest nobis, vel alijs: nimirum ad evitandum mortem, vel graue aliquod damnum, siue periculum famæ, honoris, vel bonorum temporalium sic enim Dauid simulauit aliquando stultitiam. 3. Reg. 21. Sic regularis, vel clericus transiens per terras Hæreticorum, simulat se secularem, mercatorem, vel militem. Item Christianus transiens per terras Turcarum, vel aliorum hostium, licet simulat occultando se Christianum, dummodo non mentiat in verbis.

Si Roges, an sit licitum vti habitu infidelium, item lingua, & sermone infidelium, vt quis effugiat aliquod imminens periculum? Hoc dubium resoluiimus in *primo Præcepto Decalogi, cum de Fide tractaremus.*

Si quæras secundò, an sit licitum simulare sexum, V. g. an peccet femina si nõ vtatur habitu femineo? Respondetur.

Primò, non ita secundum rectam rationem hæc dedecere personam, vt iustus de causis aliquando non sit licita, nimirum ad fugiendum iustè ex carcere, vel ex feruitute, vel captiuitate. Item ad evitandum aliquod insidiarum periculum. Item ob grauiam relaxandi animi ob bonum aliorum citra scandalum.

Secundò, hæc iustè prohiberi solent legibus, vel statutis humanis: quia huiusmodi habitu simulato, solent homines peccata perpetrare, & damna inferre. Vnde vbiunque fuerint hæc statuta, vel leges, peccatum erit contrarium facere.

Tertiò, etiam vbi non sunt huiusmodi leges, vel statuta, erit peccatum mortale eiusmodi ficto habitu vt, si sit ob finem malum, vel cum graui periculo offensionis, vel scandali aliorum.

Quartò, si quis huiusmodi simulato habitu vtatur solum ex leuitate animi, erit veniale peccatum. Siluester, verb. *Femina, num. 2. Rosella num. 1. Taberna num. 4. Armilla num. 2.*

Dubium quartum, Quid sit dicendum de iudicibus, qui vt solent simulatione aliqua, vt ea reo, vel actore, vel teste veritatem rei aliqui dubiæ exorqueant. De hoc *Contrauiuas lib. 1. Variarum resolutionum, c. 2. num. 16.*

Dubium quintum, quid sit dicendum de puella corrupta, quæ occultando sui corporis corruptionem, simulat carnis integritatem, ne se prodatur, & ne atceatur à Velo consecrationis, quo velati solent puellæ virgines? Ad hoc dubium respondimus in *sexto Præcepto Decalogi.*

Dubium sextum, quid sit dicendum de his, qui solent certis anni temporibus laruis, qui vulgò masculinæ dicuntur? Respondetur. Quotiescunque huiusmodi laruis, quis vitatur ob malum finem, vel cum graui aliorum detrimento, vel periculo, peccat mortaliter.

Secundò, si quis vitatur solum iocis gratia, & relaxandi animi absque alio periculo, non est peccatum: quod si fiat ex leuitate animi, erit veniale peccatum.

Dubium septimum, Quid sit dicendum, si quis sit causa, vt alius mendacium dicat, vel iuret bona fide, ita vt is, qui iurat nesciat se iurare falsum; cum tamen is, qui iurat eum ad iurandum, inuitet scienter ad iurandum falsum. Respondetur, non esse peccatum ex parte eius, qui iurat, quia ignoranter, bona fide iurat falsum: ex parte verò eius, qui scienter inuitat ad iurandum falsum, esse peccatum mortale, si falsum iuret: veniale verò, si tantum leue mendacium dicatur absque iuramento vloy, quoniam is, qui scienter inuitat ad iurandum falsum, habet pro obiecto iuramentum falsum alienius: & quantum est ex parte sua, falso iuratur ab altero. Nec refert si is, qui iurat ex ignorantia, bona fide putet non iurare se falsum, quia falsus est, si is, qui inuitat, sciat esse falsum, quod iurat. Sicut peccat mortaliter sacerdos, qui scienter plebi ignoranti exhiberet hostiam non consecratam adorandam: nam licet plebs adorando non peccet, quia bona fide putat esse consecratam, peccat tamen sacerdos, qui quantum est ex parte sua, scienter idololatricæ peccatum committitur.

Dubium octauum, An sit mendacium, cum quis tacendo, vel occultando veritatem, quam alioqui confiteri tenetur, non prodit. Respondetur, non esse proptiè, & strictè mendacium, quia nihil verbis exprimitur, sed esse peccatum omissionis, quia omittitur veritas tempore, quo potest & debet exprimi.

De contumelijs, & ceteris iniurijs, qua in verbo consistunt contra proximum.

CAP. V.

De his agit S. Thomas 2. 2. *questi. 72. articuli. 2.* Sotus *lib. 3. De Iustitia, questi. 9. articulo. 10.* Summistæ *verb. Contumelia*, Siluester, Angelus, Atmillia, Tabiena.

Notandum est primò, tria esse peccata, quæ sunt iniuriæ, in verbo consistentes contra proximi honorem, nimirum, contumeliam, conuitium, & improprium. Sunt autem contra honorem proximi, quia honor est, vt docet S. Thomas 2. 2. *questi. 63. artic. 3.* exhibitio reuerentiæ in testificationem excellentiæ alicuius, præsertim virtutis. Huiusmodi verò peccatum propriè & directè sumptum est contra reuerentiam debitam alicui.

Secundò notandum, contumeliam esse iniuriam, qua verbis obicitur alteri cum in eius, siue quodcumque aliud peccatum ipsius, in præsentia eius. V. g. si quis compellat alium furem, vel hæreticum, vel patriæ præditorem. Vnde *li. ff. De iniurijs* colligitur, quod contumelia fit dicti acerbitas ob culpam commissam contra honorem alterius. Conuitium verò est iniuria, qua verbis obicitur alteri malum eius, siue culpæ, siue pœnæ, siue naturæ in præsentia ipsius. Vt si quis compellat alium furem, vel ignarum, vel stultum, cochilem, gibbosum, malè natum, aut aliquid huiusmodi. *Litem apud Labeonem. ff. De iniurijs.* Improprium autem est iniuria, qua alteri obicitur beneficium in ipsum antea collatum, quod est quasi quædam ingratitude exprobratio. Sepe tamen promiscuè tria ista confunduntur.

Dubium, an iste tres verbales iniuriæ specie distinguantur? Respondetur ex Caietano, & Soto *locis supra citatis* non distinguuntur specie, sed esse tantum modos quosdam accidentatos, magis, aut minus augentes malitiam peccati, quia omnes istæ tres iniuriæ in verbo consistunt contra honorem debitum proximi: honor autem proximi non distinguuntur in species. Si obicitur: Contumelia, vel conuitium in patrem, regem, vel prælatum distinguuntur specie ab alijs contumelijs, quia huiusmodi contumelia specialiter contra pietatem patri debitam, Regi, Principi, vel Prælato est? Respondetur huiusmodi contumeliam in ratione contumeliæ, non distinguuntur specie, quia solum est contra honorem debitum alteri, & solum læditur honor debitus alteri, non pietas erga illum. Sicut si quis detrahat patri, vel Principi, vel Prælato, non est peccatum detractionis, specie distinctum ab alijs detractionibus, quia omnis detraçtio solum est contra famam alicuius: fama autem hominis non distinguuntur in species. Secus verò est, si quis vulneret, aut occidat patrem, aut coeat quis cum matre: huiusmodi enim peccatis, violatur pietas debita parentibus.

Si verò quæras, an aliquando sit necessarium in confessione exprimere qualitatem contumeliæ? Sotus *loco citato* ait aliquando esse necessarium, vel ob magnitudinem eius, quod acerbè dicitur, vel ob qualitatem personæ, cui contumelia obicitur. V. g. si quis compellet alium, prædorem, vel hæreticum, vel proditorem. item, si quis conuitia iacet in Regem, Principem, vel Prælatum: quia licet contumeliæ specie non differant, est tamen opinio Soti, & multorum aliorum valde probabilis, circumstantias peccatorum, malitiam grauius augentes in eandem speciem esse in confessione exprimendas.

Dubium secundum, An istæ tres contumeliæ ordinariæ

requirant ex natura sua præsentiam eius, in quem contumeliæ, vel conuitia iactantur? Respondetur ex S. Thom. & Soto *locis citatis*, requirere: in hoc enim contumeliæ distinguuntur à detractione, quod detraçtio semper est iniuria, qua fama absentis læditur: Contumelia verò est iniuria, qua honor præsentis dehonèstatur. Vnde contumelia, & detraçtio se habent in hoc, sicut furtum, & rapina: nam rapina fit, domino rei præsentis, & iniurio, vel saltem sciens, & iniurio: furtum verò fit clam, in scio domino rei: at in *li. item apud Labeonem. ff. De iniurijs*, dicitur: (Conuitium non tantum præsentis, verum absentis quoque fieri potest.

Dubium tertium, An prædictæ contumeliæ solum consistant in verbis? Respondetur ex Soto, & S. Thoma *locis citatis*, vt plurimum consistere in verbis, aliquando tamen etiam in nutibus, motibus, & factis, sed non quomodo eoque acceptis, sed tanquam signis ad aliquam iniuriam representandam. Talis erat apud Romanos contumelia pollicem inter duos digitos alicui ostendere.

Dubium quartum, An blasphemiam in Deum, vel aliquem Sanctum comprehendatur inter huiusmodi contumelias? Respondetur, blasphemiam in Deum, vel Sanctos esse quidam contumeliam: sed quia est speciale quædam contumelia contra religionem, ideo est speciale peccatum multò grauius, & habet speciale nomen, nimirum blasphemiam. Et est annotandum blasphemiam in Deum, vel Sanctos verò, & propriè esse contra honorem, & religionem debitam Deo vel Sanctis: cæterum, quia vt plurimum blasphemiam continent verbalem hæresim, quæ blasphemiam solent dici hæreticales: ideo S. Thomas blasphemiam conuenerunt inter peccata contra Fidei. 2. 2. *q. 23.*

Dubium quintum, Quomodo contumelia sit peccati contra iustitiam? Respondetur ex communi omnium sententia, esse contra iustitiam, quia est iniuria, qua honor alterius læditur: omne autem peccatum, quo tollitur, aut læditur in totum, vel ex parte ius alterius, est contra iustitiam: sicut enim iustitiam est reddere suum ius alteri, sicut iustitiam est, adinere ius alterius, eo iure formaliter, aut virtualiter, ex quo sequitur, contumeliam ex obiecto suo, & natura esse grauius peccatum furto, quia est contra honorem alterius; at honor plus aestimatur, quam bona temporalia.

Dubium sextum, Quot modis contingant contumeliæ peccata? Respondetur ex Soto *loco citato*, & communi sententia, huiusmodi peccata, quæ consistunt in verbis, in hoc differre à peccatis, quæ in facto consistunt, quod ea, quæ facto perficiuntur, in solo ipso facto scienter procedente consistunt, vt homicidium, adulterium, furtum quæcumque intentione fiant, dummodo scienter admittantur, peccata sunt. At verò peccata, quæ consistunt in verbis, non sunt postea, nisi ex intentione admittantur, quia consistunt in verbis, vt significatiuis; at verba cum significant ex placito hominum, similiter significant ex intentione hominum. Vnde verbum, quod aliqui esset contumeliosum, si dicitur gratia correctionis, vel disciplinæ, vel iocis, definit esse contumeliosum. Item de cæteris peccatis in verbo consistentibus, est iudicium. Ex dictis sequitur, contumelias posse dupliciter accidere.

Primò, ex intentione dicentis, cum ex ea verba probrofa iaciuntur in alium: & tunc dicitur esse contumelia directè, & formaliter.

Secundò, cum verbum probrosum iacitur in alium: non quidem ex intentione exprobrandi, sed ex lata culpa, hoc est, ex crassa imprudentia, ignorantia, vel consideratione, vel negligentia, & tunc dicitur esse contumelia indirecta, & virtualis, quia perinde est, ac si contumeliosum verbum iactaretur ex intentione: quia is, qui loquitur, tenetur aduertere, & diligentiam adhibere, ne huiusmodi contumeliosa verba dicantur. Idem est iudicium de detrahente, aut malè iurante; siue perante, & de profertente hæresim incaute, negligentem, vel imprudentem: omnium enim huiusmodi peccata in verbo consistunt.

Dubium

Dubium septimum, Quando contumelia sit mortale peccatum? Respondetur ex communi omnium sententia, tripliciter contingere mortale peccatum in contumeliis.

Primo, ex intentione grauitate laedendi honorem alterius, licet contumeliosum verbum sit leue.

Secundo, ex grauitate materiae, vt quando verbum contumeliosum est graue, licet non dictum ex proposito grauitate laedendi.

Tertio, ex defectu cautionis, prudentiae, diligentiae, qua esset aliqui abstinendum à verbis contumeliosis: vt potest accidere in his, qui verbis corripiunt alios: fieri enim potest, vt ex imprudentia & negligentia contumeliosa verba admisceantur, grauitate laedentia honorem alterius. Sequitur ex dictis, in contumeliis esse veniale peccatum, vel ex leuitate materiae, vel ex imperfecta animi deliberatione, vel intentione, vel ex leui imprudentia, consideratione, vel negligentia, qua contumeliae iactantur in alium.

Dubium octauum, an sit mortale peccatum, dicere contumeliosum verbum, quod nullum peccatum alterius exprimat, sed tantum, vel in malum poenae, aut defectum naturae? Respondetur, aliquando esse mortale peccatum, quia huiusmodi contumelias aliquando alter grauitate offēditur, vt si apud Hispanos contumeliosè dicas in alium, eum nimirum esse Iudaeum, vel Sarracenum, hoc est, natura ex patre natus, qui originem trahunt ex Iudaeis, vel Seracenis: & Christus Dominus ait *Matth. 3.* (Qui dixerit fratri suo, Racha, reus est cōcilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennae ignis.)

Dubium nonum, An mortaliter peccet is, qui leue conuictum iactat in alium, cum tamen certo nouerit eum grauitate offēdi eiusmodi conuictio, aliqui leuissimo? Respondetur.

Primo, certum esse eum peccare mortaliter, si iactet ex intentione grauitate offēdendi. Tota difficultas est, cum ab est huiusmodi intentio, & tamen certo scimus alium nihilominus grauitate id passum: & tunc cum distinctione respondemus: sunt enim homines cordati, prudentes, & graues, & nihilominus rectè admodum ferunt in se iactari conuictum certum, etiam si aliqui leuissimum. Et tunc videtur esse mortale peccatum, quia licet conuictum sit leue, infert tamen damnum graue: nam huiusmodi homines etiam leuissimis conuictis solent grauitate contritari, & offēdi, sicut mortaliter peccates, si a cum auferes peccates, si a cum auferes peccates, si a cum auferes peccates. Sunt verò alij homines partium prudentes, & tenoris etiam fortis, & conditionis, qui quoecunque etiam leuissimo verbo solent grauitate offēdi: tunc non videtur esse mortale peccatum in hos iactare leuissimum conuictum, quia si grauitate offēdantur, a grè admodum id ferentes, videtur esse imputandum culpa, & leuitati ipsorum, cum temere, & rationabiliter offēdantur.

De Detractione.

CAP. VI.

NOTANTVM Primo, ex S. Thom. 2. 2. *quæst. 72.* & 74. Detractionem, susurrationem, aut murmurationem esse idem, aliqua tamen ratione differre. Nam detraçtio est, qua fama alterius laeditur: susurratio verò addit, quod fiat ex intentione laedendi amicitiam, & concordiam inter duos.

Notandum secundò, detractionem à derisione differre, nam derisio fit verbis, vel lignis, vt alter pudeat: Detraçtio verò solum est, graua laedendi famam alterius.

Tertio, famam proximi laedi extra iudicium, & in iudicio: extra iudicium, dupliciter, vel dicendo falsum crimen proximi, vel dicendo crimen verum, sed occultum. In iudicio potest contingere, vel ex parte accusatoris, vel ex parte accusati.

Primo modo, dupliciter, nimirum si falsum crimen alteri imponatur, vel si verum crimen dicatur, sed occultum.

Justit. Moral. Pat. 3

Secundo modo dupliciter, videlicet si accusatus neget crimen verum, sed publicum, vel si dicat accusatorem mentiri, vel calumniari.

Quarto notandum, famam proximi posse auferri, vel directe, vel indirectè, formaliter, aut virtualiter. Directè, vt si crimen falsum alteri imponatur, vel verum, sed occultum: Indirectè verò, vt si quis neget crimen verum sibi obiectum: consequenter enim laedit famam alterius, qui significat eum mentiri, vel calumniari. Formaliter laeditur fama proximi, cum ex intentione crimen alterius proditur. Virtualiter verò, cum crimen proximi refertur aliis, non ex intentione laedendi famam proximi: sed nihilominus, quia imprudenter, inconsideratè, vel negligentè crimen narratur, manet proximi fama laesa.

Quinto notandum, famam esse, vt habetur in *l. cognitio- nium: §. existimatio. ff. de varijs, & extraordi. cognitio- nibus illæ:* dignitatis statum, vita, & moribus comprobatum, & in nullo diminutum: fama in praesentia accipitur non prout oritur ex quacunque excellentia, sed vt nascitur ex laudabili, & honesta vita. Est igitur fama bona existimatio communis, voce manifestata de laudabili, & honesta vita alicuius.

Dubium, quomodo detraçtio sit peccatum contra iustitiam? Respondetur ex communi omnium sententia, detractionem esse peccatum contra iustitiam, quia est peccatum, & iniuria, qua violatur ius, quod proximus habet in sua fama. Vnde sequitur, vt ex obiecto, & natura sua, detraçtio sit peccatum grauius furto, quia fama est bonum maius bonis temporalibus, quae furto auferuntur.

Dubium secundum, an si quis famam sibi auferat, vel sibi falsum crimen imponendo, vel detegendo crimen verum, & occultum, peccet contra iustitiam? Sunt duae opiniones.

Prima asserit eum contra iustitiam peccare, eo quod nullus suae famae dominium habeat. Vnde consequenter ait, eum esse obligatum ad reuocandum ad dictum suum, & vt restituat sibi famam ablatam, sic Caietanus in 2. 2. *quæst. 73. artic. 3. Et in Summa, verbo, detraçtio:* sic etiam videtur sentire Maior in 4. *Distinctione 13. quæstione decima octaua. Armilla verbo Detraçtio, num. 5. Et verb. Restitutio, num. 42. Et 43.* Et quidam putant, sed immerito, & falso, vt statim dicam, huius sententiae fuisse Abbatem in cap. ex parte 2. *De sepulchris, & Felinum in cap. 1. De Testibus cogendis, Socinum in Resolutione super Caput, Ad audientiam, De homicidio, Antoninum par. 2. Titu. 8. cap. 4. §. 1. Angelus in verbo Detraçtio, num. 6. Siluestrum ibidem, quæst. 3. Tabienlem ibidem num. 6.*

Haec opinio probatur ex eo *Proverb. 22.* (Melius est nomen bonum quam diuitiae multae.) Et *Eccle. 41.* (Curam habet de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni, & pretiosi.) & ex August. in c. nolo 12. *quæstion. 1. ubi ait:* Propter nos conscientia nostra nobis necessaria est: propter vos fama nostra non pollui, sed polleere debet in vobis; conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo: qui confidens conscientiae, negligit famam, crudelis est.

Secunda opinio ait, esse quidem peccatum contra charitatem, non tamen contra iustitiam, quia quisque habet dominium suae famae. Vnde si temere, & absque causa quis sibi famam adimat, peccat quidam tanquam prodigus famae suae dissipator, aut conuictor, non tamen tanquam iniustus, sic Sorus lib. 3. *De iustitia, quæst. 10. artic. 2. Et lib. 4. quæst. 2. artic. 3. Et lib. De ratione regendi, & detegendi secretum, membrum. quæst. 6. Conclus. 3. Et Couarruias lib. 1. Variarum resolutionum, cap. 2. num. 8. & Adrianus in 4. in quæst. De restit. fama qua incipit. V. de bonis animae, Et Quæst. 31. Et Cordubenses, in Amotacionibus super Sorum De ratione regendi, Et detegendi secretum membro quarto quæstione tertia, conclus. 14. dubio primo. In hac opinio, multo probabilior est, & verior.*

Bbb 3

Secunda

Secunda opinio, Fama enim, & honor non est sicut vita: in bonis enim nostris numeratur, cum sit bonum, quod nostris actibus acquirimus. Et reuera commendantur homines, præsertim secundum Evangelicam perfectionem, qui suæ famæ sunt contemptores. Et licet fama sit bonum pretiosius auro, bonum tamen nostrum est, nostro labore partum. Item pro prima opinione expresse solus videtur facere Caietanus, aut ut plurimum Maior, & Armilla. Abbas enim, Felinus, Socinus, Antoninus, Angelus, Siluester, Tabienis, nunquam docuerunt aperte nos non habere dominium nostræ famæ: solum aiunt, si quis metu tormentorum seipsum distamet, postea in articulo mortis obligati suum dictum reuocare: quod in quo sensu sit verum, statim inferius dicam.

Dubium tertium, Quando infamare seipsum sit mortale peccatum contra charitatem? Respondetur, Sotus, Couarruias, & Medina aliquos casus connumerant, & Nauarrus, cap. 18. num. 27. & 28.

Primo, certum est apud omnes, mortaliter peccare, qui sibi falsum crimen imponit, etiam leue, iuramento confirmatum.

Secundo, qui seipsum infamat cum periculo perdendi vitam suam.

Tertio, qui seipsum infamat, cum notabili damno alterius in fama, honore, vel bonis temporalibus, aut in bonis spiritualibus, quia tunc infamia est, etiam contra charitatem, & iustitiam proximi.

Tota difficultas est, an sit mortale peccatum infamare seipsum, diceudo de seipso crimen aliquod atrox, V. g. hæresim, vel nefandum crimen, vel crimen læsæ maiestatis, vel proditionem, vel coniuratum nefarium contra Remp.

Item, an sit mortale peccatum infamare seipsum, quando persona est publica, nimirum Prælati, vel quicumque alius magistratus Republicæ? Sotus enim, Couarruias & Medina aiunt esse mortale peccatum in huiusmodi casibus: quia ex hæresi, & aliis supradictis criminibus familia, & cognatio detrimentum patitur in fama, vel honore, vel bonis temporalibus. Item quando homo publico officio fungitur, infamia ipsius cedit in detrimentum boni publici. Sunt verò, qui sentiant, in huiusmodi casibus non esse mortale peccatum, nisi quando fuerit damnum aliorum sequutum in fama, honore, aut bonis temporalibus; quod est dicere, præsertim infamare seipsum etiam in atroci crimine minimè esse mortale peccatum, sed reuera dicendum est, in prædictis casibus esse mortale peccatum, si quis se ipsum infamet sine vlla causa, & ratione; huiusmodi enim infamia absque scandalo aliorum fieri non solet, & absque detrimento notabili vel sui ipsius, vel alterius etiam ad profectum virtutis. Item fama licet inter bona nostra numeretur, non est tamen tam parui momenti, vt in huiusmodi casibus temerè, & absque causa negligenda sit.

Dubium tertium, An infamare seipsum, metu tormentorum, sit mortale peccatum: sunt duæ opiniones.

Prima asserit esse mortale peccatum, si quis falsum crimen sibi imponat. Sic Caietanus loco supra citato.

Secunda opinio ait non esse, si tormenta sint magna, & graua; sed tantum esse officiosum mendacium, sic Sotus, Couarruias, Medina, Nauarrus, Angelus, Siluester, Tabienis, locis supra citatis. Hæc opinio est verior, tum quia Caietanus innititur duobus fundamentis, nimirum, quod nullus habeat dominium suæ famæ, & quod omne mendacium in iudicio quantumuis leue sit perniciosum: quod vtrumque fundamentum supra reiecit: tum quia tormenta, quando sunt magna, & graua, ipsa natura reformidat, ergo huiusmodi tormentorum metu satis magna causa est, vt quis excusetur à pernicioso mendacio, siquidè, vt euiet maius malum, nimirum tormenta tam graua, mentitur.

Si roges, an sit mortale peccatum, si Titus extra metum tormentorum constitutus, seipsum infamet in illis casibus? Respondetur, si probabiliter nouerit se iterum prædicta tormenta perpessurum, non peccabit Titus mortaliter; si probabilis absit huiusmodi metu, erit mortale peccatum.

Si autem quæras, an Titus, qui seipsum infamauit, metu tormentorum, postea in articulo mortis peccet mortaliter nisi dictum suum, quo seipsum infamauerat, reuocet? Siluester, & Angelus locis supra citatis, aiunt Titum esse obligatum ad dictum suum reuocandum. Sic Antoninus par. 3. Tit. 8. cap. 4 §. 1. Paludanus in 4. Disti. 21. q. 2. art. 3. conclus. 4. Abbas in cap. Ex parte 2. De sepulch. velin. in cap. 1. De testib. cogen. Socinus in Relict. super caput ad audientiam de homicidio. Ex quo colligunt aliqui, omnes huiusmodi auctores esse in ea opinione Caietani, quæ asserit neminem habere dominium suæ famæ, & proinde quemque esse obligatum ad restituendam sibi famam, si se infamauit. Sed certè præfati auctores nihil tale docent: solum aiunt, si quis ob tormenta seipsum infamauit, decedere in peccato mortali, nisi in articulo mortis dictum suum reuocet: quod meo iudicio verum esse potest, etiam si quis dominium habeat suæ famæ: non enim ideo in peccato mortali decedit, quia lege iustitiae tenetur sibi ipsi famam restituere, sed quia non reuocando dictum suum in articulo mortis, cum possit reuocare commode, peccat denuo, non recuperando famam suam, quam potest facile recuperare: & hoc intelligitur de eo, qui se infamauit crimine graui; sicut, si quis prodige dispensando bona sua, peccasset mortaliter, si postea commode posset ea sibi recuperare, & neglexisset temere, denuo peccasse censetur: non quia restituere sibi tenetur, sed quia negligendo recuperationem, perire debet, ac si denuo dissiparet. Item si quis seipsum infamauit, ratione cuius infamæ damnatur ad mortem, postea in articulo mortis non reuocando dictum suum, mortaliter peccat; si reuocando dictum possit seipsum à morte liberare: tunc enim ratione vitæ seruandæ, tenetur reuocare dictum suum.

Dubium secundum, quomodo modis famæ alterius detrahatur? Respondetur, ex S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 1. directè quatuor modis detrahi. Primo, cum falsum crimen imponitur. Secundo, quando crimen occultum detegitur. Tertio, quando crimen, dum fertur, exaggeratur, siue aliqua ex parte notabili augetur. Quarto, quando factum quidem non vituperatur, sed improbat intentio facientis. Indirectè detrahitur alienæ famæ quatuor modis. Primo, quando quis bona virtutis aliena denegat. Secundo, quando silentio occultat bonum alterius. Tertio, quando quis minuit. Quarto, quando quis malignè aut reuerè, & frigide laudat alium, alioquin commendandum.

Dubium tertium, An contumelia sit peccatum detractio ne grauius? S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 3. ad 2. ait esse grauius, sed contra hoc obicitur, detractio est peccatum contra famam, contumelia verò est contra honorem; sed fama est bonum honore præstantius, ergo detractio est maius peccatum. Hoc argumento conuicti quidam, sentiunt contra S. Thomam, detractio nem esse grauius peccatum contumelia. Sed dicendum est, vt rectè ait Sotus, lib. 4. de iust. q. 10. a. 3. ad 2. contumeliam ideo esse grauius peccatum, quia est iniuria alteri facta magis inuoluntarie ipsi, quam sit detractio: tunc quoniam contumelia inferitur proximo in præsentia ipsius, & ita scienter, & inuitè iniuriam patitur. At verò detractio fit in absentia proximi, & ita inciens iniuriam patitur, ergo contumelia est maior, quia eam iniuriam magis inuoluntarie proximus patitur.

Dubium quartum, An qui in confessione sacramentali detegit peccatum alterius, quia alioquin non potest commode suum peccatum cõfiteri, censetur infamare illum? De hoc dubio tractabitur in materia de confessione, cum ageretur de sacramentis.

Dubium quintum, An is, qui detegit peccatum alterius vni, vel duobus vni, quos certo nouit alteri illud peccatum non patefacturos, & quibus peccatum detegere perinde est, ac si pateficeret, peccet mortaliter? Sicut solet vir vxori suæ secreto peccatum alterius recensere, aut amicus alteri amico fideli. Et supponimus in præsentia non detegi peccatum animo detractio: tunc enim esset peccatum mortale ex praua intentione, nec item ex bono aliquo fine, sic enim absque peccato detegi potest, vt inferius explicabo; sed ex leuitate quadam animi, aut loquacitate.

Dux sunt opiniones. Prima asserit non peccare mortaliter; quia is, cuius peccatum detegitur, non patitur graue fame detrimentum, cum vni tantum, vel duobus secreto detegatur. Sic Caietanus *secunda secunda, quæst. 73. art. 2. dub. 1.*

Secunda opinio ait, esse mortale peccatum. Sotus *lib. 4. de Iustitia, quæst. 6. art. 3. & lib. 5. quæst. 10. art. 2.* Ratio eius est; quia magni æstimatur fama, etiam apud duos, vel vnum, ergo grauis est fame iactura, si peccatum detegatur duobus vel vni. Certè probabilis est opinio Caietani: nisi quando conuenerit duos, vel vnum, cui peccatum refertur, esse viros graues, apud quos fama amittere esset graue detrimentum. & præterquam in casu quo is, cuius peccatum detegitur, magni æstimat, si ipsius fama apud illos feruetur illæsa. Accidit enim aliquando, vt feramus ægius famam nostram lædi apud virum vnum aliquem, quam si apud multos læderetur.

Dubium sextum, An qui solum recenset peccata alterius audita, & expresse dicit se nihil certò nosse, sed tantum memorare se quæ audiuit, peccet mortaliter?

Sunt duæ opiniones. Prima negat mortaliter peccare. Sotus in *4. dist. 15. quæst. 4. art. 1.* Siluest. *verb. Detrahitio, quæst. 1.* Nauarrus in *Manuali, cap. 18. num. 36.* Caiet. *2. 2. quæst. 33. art. 2. dub. 2.* Gabriel, in *4. dist. 15. quæst. 10. art. 3. dub. 2.* Armilla *verbo Restitutio, num. 4.* Ratio horum est; quia iste solum recitat peccatum alterius, non verò confirmat.

Secunda opinio asserit mortaliter peccare. Sic Sotus *lib. 4. de Iustitia, quæst. 6. art. 3. ad 4. & lib. 5. quæst. 10. art. 2.* Et probat, quia qui sic referunt peccata aliorum, eo ipso sunt causa, vt alij huiusmodi peccata nonerint, & consequenter sunt causa, vt fama alterius apud plures amittatur.

Cæterum, Prima opinio est verior, si adint sequentes conditiones.

Prima, Ne is, qui refert, id nõ faciat animo detrahendi.

Secunda, Ne addat aliquid amplius, aut confirmet magis audita.

Tertia, Ne is, qui refert, sit vt tantæ auctoritatis, vt ei credatur, etiam si tantum audita referat. Contingit enim aliquando, vt aliqui vni sint tantæ auctoritatis, vt credamus eos ideo referre, quæ audiuerunt; quia credunt ita reuera esse, sicut ipsi referunt.

Quarta, Ne referatur id, quod auditum est ab indignis hominibus.

Quinta, Ne referatur coram illis, qui certò aut probabiliter creduntur, postea commemoratum alijs, & rem ipsam exaggeratum, vel amplificatum.

Dubium septimum, An is, qui refert peccatum, V. g. Titij notorium, peccet mortaliter, referendo illud his, qui peccatum illud non noverunt? Siluest. *verbo Detrahitio, q. 1.* ait peccare mortaliter, nisi referat his ad quos probabile est peruenturam fore notitiam peccati. Sic etiam videtur sentire Adrianus, *Quæst. 11. quæst. 1. ad 4. prop. finem.* Ratio horum est, quia apud eos, qui ignari sunt peccati, Titius habet bonam famam, & existimationem. Sed oppositam sententiam sequitur Nauarrus, *cap. 18. num. 26.* Caiet. *tom. tract. 31. Respon. 9.* Maior in *4. dist. 15. quæst. 10. §. Hoc præmissis ad finem.* Sotus, *lib. de Iustitia, q. 10. art. 2. Medina in sua instruct. confes. cap. 14. §. 34.* Hæc sententia est verior. Et intelligitur de peccato notorio, siue per euidentiã facti, siue per euidentiã iuris.

Dubium octauum, An si quis sit infamatus notorie in vna Ciuitate, Regno, Prouincia, vel loco, sit mortale peccatum eam infamare in alia ciuitate, vel regno, prouincia, vel loco, vbi nescitur eius infamia.

Tres sunt opiniones. Prima est Adriani *loco citato*, vt refert Sotus, asserentis esse mortale peccatum, & contra iustitiam; quia in eo loco retinet, V. g. Titius suam famam & existimationem.

Secunda sententia est Caietani *loco supra citato*, quam etiam citat Sotus, asserentis non esse pec. mort.

Tertia sententia est Soti, *loco supra citato*, cum distinctione loquentis: si peccatum, inquit, est notorium per euidentiã iuris, hoc est, per sententiam Iudicis, vel per propriam confessionem in iudicio, tunc non est p. m. contra iustitiam detegere illud peccatum alibi licet sit contra charitatem, quia eo ipso, quod Titius alicubi est iure infamis, est legitime fama priuatus, ac proinde contra iustitiam peccatum non est, crimen alibi euulgare.

Si verò peccatum, inquit, solum est notorium, per euidentiã facti, tunc peccatum est contra iustitiam euulgare alibi: nisi quando probabiliter creditur eo peruentura notitia criminis: quia cum non sit iure fama spoliatus, potest alicubi esse infamatus, & alibi retinere suam famam, & existimationem.

In hac re primò dicimus, si Titius V. g. alicubi est infamis per condemnationem iuris, hoc est, per sententiam Iudicis, vel propriam confessionem in iudicio, nullum est peccatum euulgare alibi, absque intentione tamen detrahendi, vt puta, si Titius est in Hispania, tanquam hæreticus condemnatus, vel tanquam fur, proditor, vel reus læsæ maiestatis, nullum est peccatum publicare eiusmodi peccatum in Italia, Gallia, vel Germania, etiam si nesciatur, & persona cognoscatur. Et hoc est, quod aiunt Caietanus, Maior, & Nauarrus. Ratio est, quia sententia in iudicio spoliavit Titium legitime sua fama: sicut enim propter certa delicta damnatur aliqui ad mortem, alij ad exilium, alij priuantur bonis temporalibus: sic etiam alij damnantur, vt fama careant, immò sententia fertur ad hoc, vt infamis habeatur.

Quod si obiecias, Alicubi Titius condemnatus retinet suam famam: Respondetur, postquam in iudicio condemnatus est, vt sit infamis, nullibi famam habet, quia ad hoc est publica præconis vox, vt eius infamia ad omnem notitiam perueniat, & per accidens est, quod non ad omnes peruenit.

Secundò dicimus, si Titius solum est infamatus per euidentiã facti, interm dum infamatus est, peccatum illius prodere alibi, non videtur esse peccatum; quia sicut per sententiam, vel propriam confessionem in iudicio fama amittitur, sic etiam perditur per euidentiã facti, & sibi quisque imputare debet, quod publico facto famam amittit.

Tertiò dicimus, si Titius alicubi per euidentiã facti infamatus, alibi bene viuendo suam famam recuperat, tunc euulgare ibi peccatum illius, erit peccatum contra iustitiam; quia sicut fama proprio facto amittitur, & infamia contrahitur, sic etiam proprio facto infamia purgatur, & fama amissa recuperatur.

Si verò quæras, an idem sit, quando Titius in iudicio est factus infamis, & postea bene viuendo alibi bonam habet existimationem? Respondetur non esse idem, quia infamia iuris non tollitur proprio facto, sed auctoritate iuris, vnde quousque Titius auctoritate iuris recuperet suam famam, semper habetur infamis.

Si quæras, An si Titius præter ordinem iuris est factus infamis sententia Iudicis, sit p. m. euulgare crimen illius? Respondetur, ex communi sententia esse p. m. & contra iustitiam: vt si factis testibus sit condemnatus, aut à non iudice suo: tunc enim sententia est iniqua.

Dubium nonum, An eum, qui infamatus est certo tempore, liceat infamare alio tempore futuro? Respondetur ex præcedente dubio, si iuris infamam contraxerit, non est peccatum eam euulgare, donec publica auctoritate Iudicis ea infamia tollatur, & pristina fama recuperetur.

Si verò infamiam contraxerit solum per euidentiã facti, tunc interim, dum ea proprio facto non purgatur, non est peccatum euulgare, quia durat infamia: postquam verò proprio facto purgata fuerit, peccatum erit eam euulgare; quia successu temporis proprio facto est purgata, & fama recuperata.

Si roges, An liceat tunc eam infamiam euulgare simul referendo emendationem vite, penitentiam, & recuperationem

tionem famæ? Respondetur, non videtur esse peccatum mortale; quia infamia præterita refertur, vt iam præterita, & penitentia, & emendatio vitæ memotatur, vt præfens, quæ purgat infamiam præteritam.

Quædam alia dubia circa detractionem diluuntur.

CAPVT VII.

DUBIUM primum, An eum, qui est in publicum carcerem coniectus ob suspicionem criminis, vel qui est accusatus, sed nondum condemnatus, licitum sit publicare? Sunt, qui dicant non esse licitum. Sed videtur nullum esse peccatum, si solum referatur, eum esse coniectum in carcerem, vel esse accusatum. Item, si per sententiam est liberatus, tunc simul hoc est detegendum, nimirum fuisse quidem accusatum, aut coniectum in carcerem, sed liberatum in iudicio.

Siroges, Quid, si fuga tantum euaserit? Respondetur; tunc videndum esse, an totum hoc sit notorium per euidentiã facti, & non erit peccatum, id refertur: alias vero erit, quoniam fuga magna gignit suspicionem peccati, & criminis denunciati.

Dubium secundum, An sit detractionis peccatum in absentia V. g. Titij detegere defectum natalium eius, nimirum, quod genus ducat ex Iudeis, vel Saracenis, vel Hæreticis, vel quod sit ex adulterio, incestu, vel sacrilegio natus. Medina in sua instructione confessorum, cap. 14. §. 25. ait esse peccatum mortale detractionis; quia si huiusmodi defectus in præsentia Titij diceretur, esset grauis in eum contumelia, ergo si in absentia referatur, est detractionis, & grauis.

Mihi tamen videtur oppositum dicendum, non esse detractionem, vbi defectus est publicus, & persona cognita, hoc in absentia refertur; quia detractio est iniuria, qua fama proximi violatur. Sed, vt præcedenti capite diximus, fama accipitur pro exultatione hominis alicuius, orta ex laudabili, & honesta vita ipsius, ergo detractio est iniuria, qua detegitur peccatum proximi. Aliud verò est de contumelia, quia hæc est iniuria, qua minuitur honor proximi: honor autem est reuerentia, quæ debetur alicui in testimonium virtutis, vel cuiuslibetque alterius dignitatis, aut excellentiæ; & proinde contumeliosum est verbum, quod exprimit in præsentia, siue malum culpæ, siue malum pœnæ, siue defectum naturæ, & consequenter grauis est contumelia, Titium præsentem compellere hominem genus ducentem ex Iudeis, vel Saracenis, vel hæreticis, vel esse hominem male natum. Non tamen est detractio, si ista dicantur in absentia, hoc autem intelligimus, quando isti defectus natalium non referuntur ex animo detrahendi. Item quando non sequitur damnum, petinde ac si detractio fuisset.

Dubium tertium, An Titium infamatum ex multis criminibus infamare ex vno alio crimine, sit mortale peccatum?

Item, an Titium infamatum in grauiori aliquo crimine, vtputa homicidio, latrocinio, infamare in minori peccato, nimirum fornicationis, sit mortale peccatum? Siluester *Detractio, quest. 1.* ait, non esse mortale peccatum. Sed videtur aliter esse dicendum. Primum, si Titius sit infamatus ob multa crimina, detegere vnum aliud crimen eiusdem quidem speciei, cum multis illis, & solo numero distinctum, non erit mortale peccatum. Verbi gratia, si Titius sit infamatus ob centum furta, dicere eum commisisse centum, & vnum; quia reuera illud lædit partim famam; nisi illud peccatum fuerit etiam valde atrox, aut enorme crimen etiam in eodem genere, qualia sunt peccata nefaria.

Secundò, quando quis est infamatus ob multa crimi-

na, detegere vnum aliud diuersæ speciei, licet sit minus graue ex natura sua, est peccatum mortale; quia licet sit infamatus ob alia crimina, retinebat tamen suam famam, & exultationem in alia materia. Ergo quantumvis sit Titius infamatus ob homicidium, non est licitum detegere occultam fornicationem ipsius.

Tertiò si quis sit infamatus ob multa crimina, non erit grauis detractio detegere aliquod aliud crimen alterius speciei, quandoque in illud solent vt plurimum incidere ij, qui perpetrant priora delicta; quia eo ipso, quod solent incidere, non læditur notabiliter fama eorum.

Dubium quartum, An detractio, qua solum detegitur peccatum veniale proximi, sit tamen venialis culpa? quod est querere, An vt detractio sit mortale peccatum; opus sit, vt peccatum, quod detegitur, sit mortalis culpa? Medina loco supra citato ait, aliquando esse mortale peccatum, etiam si sola culpa venialis alterius detegatur; quia apud aliquas nationes aliquod veniale peccatum iosame habetur. Vt si in absentia dicat de Titio fuisse mentitum, quoniam pro magna contumelia habetur apud malos, si contumeliosè dicas alicui eum mentiri.

Item, quia aliquas personas maximè dedecet quadam venialia peccata, vtputa Episcopum religiosum vitium, aut grauem alium hominem maximè dishonestat mendacium etiam leue, præsertim, si dicas eum frequenter mentiri solum, quamuis leuiter. Sed Siluester, *verb. Detractio, quest. 1.* & Antoninus, *par. 2. tit. 8. cap. 14.* & Nauarrus in *Manuali, cap. 18. num. 24.* generaliter docent detegere peccatum veniale proximi esse tantum veniale peccatum.

Et hæc est verior sententia; quia per detractionem venialis culpæ non læditur notabiliter fama proximi.

Et ad argum. respondendo dicimus, solum id probate, esse disparatam rationem de contumelia, vt etiam supra diximus. Et hinc est, vt aliquando sit grauis contumelia dicere de aliquo in præsentia ipsius eum mentiri: nam huiusmodi contumeliosa verba, & similia apud aliquod genus hominum, vel contra certum genus personarum iactata, habentur pro graui contumelia, & iniuria. Secus verò est detractione, quæ fit in absentia eius, cui detrahimus.

*Dubium quintum, An is, qui dicit de alio generalia verba, quæ possunt esse venialia, aut mortalia peccata, peccet mortaliter, V. g. si quis referat de Titio, eum esse ignatum hominem, aut superbum, aut inanis gloriæ cupidum? Siluester loco citato ait, non esse mortale peccatum, quia tam de veniali, quam de mortali culpa potest intelligi nec est maior ratio; cur de mortali culpa quam de veniali intelligatur. Idem sentit Antoninus, *par. 2. tit. 9. cap. 4.* At Nauarrus, *cap. 18. num. 24.* videtur oppositum sentire. Quia, inquit, huiusmodi detractiones licet generales, aliquando esse solent eum periculo notabili, & damno proximi. Sed prior sententia videtur verior, ea tamen intelligitur, per se, & regulariter, & ordinariè, attamen per accidens ratione periculi, & damni, eiusmodi detractiones erunt peccata mortalia.*

Dubium sextum, An si quis generaliter solum dicat, in hoc oppido, loco, Republica, vel ciuitate sunt multi improbi, mortaliter peccet? Sunt, qui dicant esse mortale peccatum, quia infamet ipsum oppidum, locum, vel collegium. Sed videtur esse eum distinctiōe loquendum, si dicat, omnes esse improbos, tunc infamat congregationem totam, & proinde, si infamia est materia mortali, & mortaliter peccat; si vero solum dicat multos esse improbos, tunc non infamat congregationem totam. Item non infamat aliquem in particulari; & ideo non peccat mortaliter, & certè hoc modo accipitur regulariter, cum quis dicit de aliquo collegio, loco, oppido, esse infame.

Dubium septimum, Quando absque vno peccato licitum sit detegere peccatum alterius extra iudicium? Respondet Adrianus, Quodlib. 11. quest. 2. §. in 4. Di. resti-

restitutione, quæst. quæ incipit: *Visto de bonis animi, §. Getson.* in multis casibus id esse licitum.

Primo, quando peccata aliorum etiam cognitorum referuntur, ut sensibilia exempla ad audientium instructionem.

Secundo, quando referuntur ad maiorem audientium cautelam, ne scilicet corrumpantur peccatis aliorum.

Tertio, quando referuntur ex quadam animi commiseratione, ut audientes prouocentur ad precandum pro illis.

Quarto, propter maiorem utilitatem eorum, quorum peccata deteguntur: & hoc modo detegere peccata proximi ei, qui potest prodesse, & non obesse, nullum est peccatum. V. g. peccata filiorum parentibus, discipulorum magistris. Sic Caietanus, 2. 2. *quæst. 73. art. 2.* Navarrus *cap. 18. num. 33.* & colligitur ex *cap. Hoc videtur. 22. quæst. 5.*

Quinto, ob consilium capiendum, ut sciamus, quomodo cauere debeamus, vel nobis, vel alicui alteri tertio, sed cauendum in his, ne temerè aliorum, de quibus dicitur, fama gratuita lædatur.

Dubium octauum, An qui mendacis, vel simulationibus, bonam famam alicubi adeptus est, possit licitè infamari? Adrianus, *Quodlib. 11. quæst. 1.* respondet affirmatiuè.

Primo, quia huiusmodi est impostor, & ideo ite potest fama exsolari, quia eam possidet contra ius. At Sotus, *lib. 5. De Injustitia, quæst. 101. art. 2.* distinguit, si huiusmodi homines sint alioqui perniciosi ob famam falsam, quam habent, V. g. falso creduntur esse periti medici, doctores, vel aduocati, tunc licitum est falsam illam famam detegere; quia hoc cedit in damnum, & detrimentum aliorum. Si autem huiusmodi homines nulli noceant ex sua falsa fama; tunc ait non esse licitum eos infamare. Sed reuera ea parte probabilior est Adriani sententia: qui cum fama sit mendacis, & simulationibus acquisita, contra ius possidetur: unde contra iustitiam non facit, qui eam falsam famam detegit.

Dubium nonum, An detrahere de fama alicuius vita functi, sit mortale peccatum, nimirum aut falsum crimen imponendo, aut detegendo occultum, aut publicum, V. g. Titius mortuus est, vixit autem aliquando in concubinato publico, vel fuit aliquando fur, vel adulter, sed occultus, an illa recensere post mortem eius, sit mortale peccatum?

Ratio dubitandi est, quia post mortem infamia nulli nocere potest. Respondetur esse mortale peccatum, per se euulgare crimina mortuorum, si falso eis imponantur: aut si occulta recensentur peccata eorum: at quando obijciuntur, hoc non nocere eis, respondetur hoc esse per accidens, & aliquando contingere, ut noceat multis eorum, qui viuunt; quia fieri potest, ut aliquando huiusmodi detractio sit cum detrimento, vel damno viuentium, qui mortuo erant quodammodo commixti sanguinis propinquitate, vel amicitia, vel familiaritate. Item aliquando nocere potest familiæ, vel cognationi. Item licet non noceat viuentibus, filijs, propinquis, vel amicis, iniuria tamen sit ipsi mortuo, quia adhuc ille in hominum memoria viuit, & proinde iniuria est, vel illi falsum crimen imponere, vel occultum crimen illius euulgare. Unde sit, ut huiusmodi etiam detractioibus viuus etiam grauius offendatur; quia timent etiam inde de fama ipsorummet post mortem similiter per detractioem minuenda: at vero notoria crimina hominum mortuorum recensere non est per se mortale peccatum, sicut supra dixi de eo, qui notorium crimen alicuius alicubi narrat alibi, ubi de eo, qui notorium crimen alicuius in vno tempore, recenset in alio tempore. Ex his sequitur, quid sit dicendum de histographis, an peccent mortaliter cum scribendo minuant famam aliorum? De hoc Sotus *lib. 5. De Injustitia quæst. 101. art. 2.* Et breuiter dicendum est.

Primo, eos mortaliter peccare, si minuant ex praua animi intentione.

Secundo, si falsa crimina imponant, aut commemorent vera, sed occulta, quæ nimirum secretè sunt facta.

Tertio, si crimina tantum referant, nec narrant emendationem eorum, & penitentiam, quam mortui peregerunt, & hoc faciunt cum offensione, & scandalo eorum, qui viuunt, & legunt historias.

Quarto, si in his, qui viuunt, aliquod notabile damnum etiam temporale ex ipsa historia consequatur.

Vtimum, si occulta crimina omnino patris suo tempore nota, euulgent.

At vero nullum est peccatum, si crimina notoria, vel per euidentiã facti, vel iuris enarrant, vel si referant, quæ vulgo, & cõmuniter ferebantur, vel quæ ex auditu fide digno didicerunt, dummodo scribant se ea retexere simpliciter, quæ audierunt, vel quæ vulgo ferebantur.

Dubium decimum, An audiens detractioem peccet mortaliter, solum audiendo? De hoc S. Thomas, 2. 2. *q. 73. art. 4.* Caietanus in *summa, verbo Detractio.* Siluest. *Detractio, quæst. 2.* Adrianus, *Quodlib. 11. quæst. 2.* Navarrus *cap. 18. num. 36. & 41.*

Primo, dicendum est, is qui audit, audiendo, aliqua ratione cooperatur detractori, nimirum incitando, interrogando, vel consentiendo, vel delectando, tunc peccat, sicut is, qui detrahit, quia est detractiois causa.

Secundo, si solum perimitur detractorem, non impediendo eum, ob aliquem suum bonum, nimirum aut ex necessitate, aut dubietate, aut iusto aliquo timore, aut quia non speret fructum in admonendo detractorem, tunc nullum est peccatum. Tota igitur difficultas est, an cum non impedit detractorem, cum possit commodè, peccet mortaliter: sunt, qui affirmant, ea ratione: quia licet non peccent contra iustitiam, huiusmodi auditores, faciunt tamen contra charitatem, cum possint commodè impedire damnum infamiae: sicut peccaret, qui posset commodè impedire, & non impedit, ne bona temporalia Titij furto sumptantur.

Sed dicendum est, Primo, si quis ex officio teneatur impedire detractorem, & non impedit, tunc peccat mortaliter contra iustitiam; quia facit contra officium suum.

Secundo, si graue aliquod damnum ex detractioe sequatur, & possit quis impedire commodè, & facile, peccat contra charitatem, non impediendo: est tamen hoc casus, non erit mortale peccatum, licet aliquanta sit negligentia in non impediendo detractorem. Hæc colliguntur ex communi opinione.

De Sufuratione.

CAPVT VIII.

DE hoc peccato agit S. Thomas, 2. 2. *quæst. 74. art. 2.* Sotus, *lib. 5. de Injustitia, quæst. 11. art. 1.* Navarrus, in *Manuali, cap. 18. num. 13. & 14. §. 33.*

Notandum est, Primo susurationem esse peccatum linguæ, quo quis refert alteri malum culpæ, penæ, vel naturæ alterius, animo dissoluendi amicitiam contractam inter duos. Unde per susurationem proprie seminatur discordia: & consequenter differt susuratio à detractioe, & contumelia: quod detractor lædit in totum, vel ex parte famam alterius: contumeliosus referendo malum alterius, lædit honorem eius: susurro verò referendo malum, lædit in totum, vel minuit ex parte amicitiam in duos contractam.

Secundo notandum, posse susurationem contingere tripliciter.

Primo, si quis referat malum falsum alterius.

Secundo, si quis referat malum alterius verum quidem, sed occultum.

Tertio, si quis referat malum alterius, verum, & notorium per euidentiã facti, vel iuris: duobus primis modis detra-

detra-

detractio coniuncta susurratio: nam ex parte obiecti & materia est detractio, ex parte finis est susurratio quoniam totum fit ad amicitiam inter duos, vel plures tollendam: in tertio modo est sola, & pura susurratio, quoniam malum alterius refertur, ut amicitia aliquorum dissolvatur.

Dubium primum, An susurratio sit peccatum contra iustitiam, an verò solum contra charitatem? Ratio dubitandi est, quia per susurrationem solum diminuitur amicitia aliquorum: at bonum amicitiae solum est bonum benevolentiae, & charitatis aliquorum se mutuo diligentium. Ergo per susurrationem non tollitur aliquid bonum ex iustitia debitum alteri: sicut, si ego impedissem, ut tibi Titius aliquid donaret, vel ex testamento, vel ratione elemosynae. Respondetur esse peccatum contra iustitiam, licet Sotus, loco supra citato, videatur contrarium asserere; quia contra iustitiam est, ut tollas bonum amicitiae inter aliquos, violato recto ordine orationis: sed susurro malum referendo de alio, violat rectae rationis ordinem, ut bonum amicitiae inter aliquos tollat, ergo peccat contra iustitiam. Et ad argumentum propositum respondetur, si aliquid bonum est mihi debitum solum ex charitate, vel misericordia, quandoque tu impedis vi, fraude, vel mendacio, ne ego illud assequar, vel habeam, peccatum est contra iustitiam: quandoque verò impedis solum precibus, tunc non est peccatum contra iustitiam, licet sit contra charitatem. Eodem modo res se habet in susurrantibus: est peccatum contra iustitiam, quandoque malum culpae, poenae, vel naturae, aut falsum imponat alteri, aut si est verum, occultum tamen: nam violant iustitiae ordinem falsum crimen imponendo, aut occultum detegendo, & consequenter faciunt contra iustitiam euulgando. Si verò malum verum, & notorium alterius referant, ut dissolvant amicitiam inter aliquos, tunc peccatum est contra charitatem, non contra iustitiam.

Dubium secundum, An susurratio sit grauius peccatum detractioe, & contumelia? Respondetur, S. Thomam loco supra citato docere, esse grauius peccatum: & probat, quia per susurrationem tollitur bonum amicitiae, quod est bonum praestantius bono famae, quod detractioe tollitur, & bono honoris, quod tollitur contumelia: nam fama, & honor quaeruntur, ut amicos nobis ipsis conciliemus, & intelligitur, quando sola, & pura est susurratio, non coniuncta detractioe.

Dubium tertium, An peccet mortaliter Titius, si malum alterius referat, ut dissolvat amicitiam aliquorum turpem, aut noxiam? Respondetur nullum esse peccatum, si malum, quod refert, est verum, licet occultum; quia amicitia turpis, vel noxia, non habet leges verae amicitiae; & ideo potius est charitatis huiusmodi amicitias dissolvere: quia consilium vel bono proprio ipsorum, vel bono aliorum privato, vel communi: unde etiam detegere in hoc casu crimen alterius occultum, non est peccatum.

Dubium quartum, An peccet mortaliter Titius, si verum malum alterius referat, ut soluat amicitiam aliquorum vtilem, vel delectabilem, non autem honestam? Respondetur, amicitiam solum in utilitate, vel delectatione fundatam, non habere leges verae amicitiae, ut docet Aristoteles in Ethic. communiter receptus. Unde non est proprie susurro, qui huiusmodi amicitiam dissolvat: sed is, qui malum alterius refert, ut dissolvat amicitiam aliquorum honestam: haec enim amicitia habet rationem virtutis, unde qui malum alterius falso euulgar est detractor, & hac ratione peccat, qui euulgar, crimen alterius, verum quidem, sed occultum: at qui refert verum crimen alterius, & notorium, ut dissolvat amicitiam aliquorum vtilem solum, vel delectabilem, licet non sit proprie susurro, peccat tamen contra charitatem, quatenus tollit alterius utilitatem, si ea utilitas alicuius sit momenti, & pondens, licet temporalis, hoc est circa bona tantum temporalia huius vitae.

Dubium quintum, An Titius peccet mortaliter referendo malum alterius verum & notorium, ut dissolvat, vel minuat amicitiam aliquorum, sine hoc, quod parat inter eos aliquam amicitiam? Sotus loco citato videtur asserere non esse peccatum. Sed dicendum est cum Natutto, & Medina, esse peccatum contra charitatem: satis enim est, ut sit peccatum, quod tollit amicitia honesta, contracta inter aliquos.

Si roges, an sit peccatum mortale, si Titius referat malum alterius verum, & notorium, ut tollat amicitiam honestam inter Caium, & Seium eo animo, ut sibi conciliet amicitiam Caii, vel Seii? Respondetur hoc etiam esse peccatum contra charitatem: non enim excusatur à peccato, eo quod Titius faciat ob bonum suum proprium; quia non sunt faciendae mala, ut inde veniant bona, nec possum meo bono consulere cum malo alterius.

Dubium sextum, Quando sit susurratio peccatum mortale, & quando veniale? Respondetur esse mortale, si malum proximi, quod refertur, est graue, aut si amicitia aliquorum grauius laedatur: esse verò veniale peccatum, si malum, quod refertur, sit leue, & leuiter amicitia aliquorum laedatur. Item si fiat susurratio ex imperfecta animi deliberatione, est peccatum veniale. Item, si in referendo malum alterius, vel laedendo amicitiam aliorum, non sit dolus, vel lata culpa, sed tantum leuis, hoc est leuis negligentia, vel inconsideratio, erit tantum veniale peccatum: Si vero addit dolus, vel lata culpa, erit mortale.

De Irisione, siue derisione.

CAPVT IX

DE hoc peccato tractant Sanctus Thomas, Sotus, Nauarrus, Medina, & Caietanus, locis supra citatis.

Notandum est, Derisionem differre à ceteris, quod per derisionem malum proximi culpae, poenae, vel naturae, dicitur, ut ipse proximus pudore suffundatur. Unde huiusmodi peccatum potest etiam accidere solo iusu, vel cachinnis, acceptis tamen tamquam signis, exprimentibus malum proximi culpae, poenae, vel naturae. Subiannatio verò est, quae fit nati, vel capitis motu, tanquam signo, exprimente aliquid malum proximo, eo etiam animo, ut erubescat.

Dubium, An derisio sit peccatum contra iustitiam? Respondetur, sicut dictum est de susurratione, quandoque malum proximo falso imponitur, aut malum, verum quidem, sed occultum refertur, ut proximus erubescat, peccatum est contra iustitiam: si vero malum proximi verum, & notorium referatur, ea intentione, ut proximus pudeat, tunc peccatum solum est contra charitatem.

Dubium secundum, Quando derisio sit mortale peccatum, quando veniale? Respondetur esse mortale.

Primo, si malum proximi, quod refertur, sit graue.

Secundo, si adsit intentio pudefaciendi proximum grauius.

Tertio, si lata sit culpa, id est si grauis sit negligentia, vel inconsideratio in referendo malo proximi, vel in pudefaciendolo eum. Elle verò veniale tantum, si malum, quod refertur, sit leue, vel si solum sit intentio pudore afficiendi proximum leuiter.

Secundo, si haec fiant ex imperfecta animi deliberatione. Tertio, si leuis sit culpa, hoc est, negligentia, vel inconsideratio in referendis malis proximi, vel in pudore afficiendo eum.

De Maledictione.

CAPVT X.

DE hoc peccato agit S. Thomas, 2. 2. *quest.* 76. & Caietanus *ibidem*, Sotus, Nauarrus, & Medina *loco supra citatis*.

Notandum est primò, maledictionem accipi dupliciter, vno modo, vt est conuictum iactatum in alterum, & hoc modo non est peccatum à contumelia, vel conuictio distinctum.

Secundo modo accipitur, vt est imprecatio, qua quis alteri imprecatur malum culpæ, vel pœnæ, vel naturæ. Et in hoc peccatum incidunt frequenter mulierculæ, imprecantes malum suis liberis, vel ancillis, & rustici, muliones, & agalones imprecantes malum sibi ipsis, vel iumentis.

Dubium, An maledictio sit peccatum mortale. Respondetur, ad hoc, vt sit peccatum mortale, requirit, vt ipsa imprecatio mali sit ex animo.

Secundo, vt sit ex plena deliberatione animi.

Tertiò, vt malum, quod imprecatur alteri, sit graue, quare si aliquid istorum desit, erit veniale tantum peccatum. Vnde non semper in mulierculis maledicentibus suis liberis, vel ancillis, vel in rusticiis, mulionibus, vel maledicentibus sibi, vel iumentis, alijs ve, est peccatum mortale; quia frequenter ex ira quadam, vel ex deprauata consuetudine maledicunt, non ex animo imprecantes malum. Item frequenter in his est imperfecta animi deliberatio. Item leuis quædam negligentia, vel inconsideratio in maledicendo.

De Iudicio temerario.

CAPVT XI.

DE hoc peccato agit S. Thomas, 2. 2. *quest.* 60. *art.* 3. & Caietanus *ibidem*, Sotus, *lib.* 5. de *Iustitia*, *quest.* 4. *art.* 3. Medina in sua instructione confessorum, *cap.* 14. §. 17.

Notandum est primò, iudicium temerarium esse, cum opus alterius, quod bonum, aut malum esse potest, leuibus, & non sufficientibus rationibus in malam partem determinate accipiunt. Dicitur autem temerarium iudicium; quia est sententia, quam certo statimus de facto alterius, temere, id est, sine sufficienti ratione, & causa.

Dubium, An iudicium temerarium sit peccatum contra iustitiam, an verò solum contra charitatem? Ratio dubitandi est; quia per iudicium temerarium nihil alteri auferimus. Item solo actu voluntatis interiori committitur. Item nullam inducit obligationem restituendi, quam induceret, si esset contra iustitiam; quia est sententia, quam ferimus, contra alterum absque idonea, & sufficienti ratione, & causa. Item, quia in nobis ipsis gignimus malam existimationem de proximo: cum tamen quisque apud omnes debeat esse bonæ existimationis, quando eumque manifestè malum de ipso non constat. Nec impedit, quod iudicium temerarium interiori mentis actu consummetur; quia etiam voluntas furandi, adulterandi, vel patrandi homicidium est peccatum contra iustitiam, & tamen est interior mentis actus tantummodo.

Quod si obiecas, Voluntas furandi est interior actus, seu etiam inchoatum furtum, quod furto exteriori consummatur; Respondetur: etiam iudicium temerarium vltimo perficitur exteriori actu, quando sententia determinate profertur contra proximum absque idonea, vel sufficienti ratione.

Et cum secundo obiecit, iudicium temerarium nul-

lam inducere obligationem restituendi? Respondetur: si iudicium in solo interiori mentis actu consisteret, nullam inducit obligationem restitutionis, sicut nec inducit voluntas furandi, quoniam restitutionis onus non nascitur, nisi ex damno illato alteri contra iustitiam, quod per iudicium temerarium interius non fit. Si verò iudicium temerarium consistat in sententia, per verba exteriorius procedente, tunc si nulli alteri est huiusmodi sententia patefacta, nulla etiam est obligatio restitutionis; quia nihil damni est illatum. Si vero alicui est patefacta, tunc etiam non est obligatio restituendi, si solum patefacimus alijs nostrum iudicium referendo etiam indicia leuia, quibus temerè iudicamus, quoniam causa leuis est, qua temere iudicamus, & hæc leuitas causæ, & temerarium nostrum iudicium etiam alteri detecta, non sunt nata in eo non gignere malam existimationem illius, de quo temere iudicamus. Si vero alijs patefacimus nostrum iudicium, referendo malum de altero, & detrahendo, tunc erit obligatio reuocandi id, quod diximus, non ex vi iudicij temerarij, sed ex vi detractionis, hoc est, quoniam alteri detraximur, malum de eo referendo.

Dubium secundum, Quomodo peccata in temere iudicando discerni debeant? Respondetur.

Primò, esse considerandos gradus, quibus ad temerarium iudicium peruenimus.

Secundò causas, & rationes, siue indicia, & signa, ex quibus iudicamus.

Tertiò, obiecti mali gravitatem.

Si roges, qui sint gradus, ex quibus peruenitur ad temerarium iudicium? Respondetur.

Primò, est dubium, quo incipimus dubitare de opere alterius, sit ne bonum, an malum.

Secundò, est suspitio, credulitas, vel opinio, qua credimus, & opinamur, esse opus malum alterius, licet non certo, ac firmiter, sed in formidine, etiam probabiliter credendo esse bonum, aut non esse malum.

Tertiò, est iudicium, quo certo, & definitè iudicamus, & credimus esse malum alterius opus. Dubius dicitur aliquis, quando in neutram partem præbet assensum, sed suspendit, vt V. g. sumus dubij, atra sint patina, an imparia, quoniam neutri parti assentimur. Suspitio, credulitas, vel opinio est, cum ex auctoritate aliqua humana, vel aliqua coniectura probabili, aut signo, vel ratione item probabili, ita assentimus vni parti, vt etiam probabiliter credamus nos falli, & posse esse verum contrarium eius, quod credimus, & opinamur. Iudicium vero est, cum ita certo, & firmiter inclinamus in vnam partem, vt eam veram esse, certo, & determinate iudicemus.

Dubium tertium, An si Titius viderit Caium cum femina inhonesta eunte aliquò, suspicetur, credat, vel opinetur eos velle peccare, sit temerarium iudicium? Respondetur non esse temerarium iudicium; quoniam nondum certo, & firmiter statuit eos velle peccare, sed probabiliter tantum credit, aut opinatur, & consequenter etiam putat posse esse verum oppositum. Potest tamen aliunde esse peccatum mortale. Sic Caietanus, 2. 2. *quest.* 60. *art.* 3. & Medina in sua instructione confessorum *cap.* 14. §. 37. Vnde multi excusantur à iudicio temerario ex eo, quod tantum suspicantur, credunt, vel opinantur de malo alterius: non tamen certo iudicant, & statunt. Item, quando idonea sunt indicia, non est temerarium iudicium, etiam si certo iudices de malo alterius, vt si videas iunenem suspectum cum femina suspecta, in loco suspecto, & infami, & obseruantes, ne videantur ab alijs. Item, si videas virum cum femina in lecto: hæc enim, & similia indicia sunt vehementia.

Dubium quartum, An iudicium sine indicijs idoneis de defectu natalium alterius, sit peccatum mortale. V. g. si iudices sine indicijs sufficientibus de Titio, quem vides, quod sit male natus, nimirum ex adulterio, incestu, vel sacrilegio; aut, quod genus ducat ex iudaïs, vel Saracenis? Respondet Medina *loco supra citato* esse peccatum mortale.

tale; quia sine idoneis iudicijs, habes malam existimationem de proximo. Item, quia si hæc de Titio contumeliose diceres, peccares mortaliter, ergo etiam peccas mortaliter. Ergo etiam peccas mortaliter temere iudicando de Titio. Sed certe videtur non esse peccatum mortale: quia nullum malum culpæ iudicatur de Titio, sed tantum defectus naturæ, in quo Titius culpam non habet, nisi in speciali iudice patentes Titij fuisse adulteros, incestuosos, vel sacrilegos, sine sufficientibus iudicijs; nam tunc peccabis, non quatenus iudicas de naturali defectu Titij, sed quatenus iudicas de culpa parentum eius. Secus vero est, quando huiusmodi naturales defectus contumeliose dicuntur de Titio, ut supra diximus: tunc enim est gravis contumelia: quia Titio præsentè grauitè læditur eius honor: sed valde probabilis est sententia.

Dubium quintum, An Titius peccet mortaliter, si dubitet, aut suspendat suam sententiam, sine idoneis iudicijs de malo culpæ Titij: Medina loco citato, respondet isti dubio, distinguendo: si Titius antehabebat bonam existimationem, tunc peccat mortaliter; quia dubitando, vel suspendendo tollit quantum ad se bonam existimationem, quam antea habebat de alio. Si autem nullam bonam existimationem habebat, tunc non peccat dubitando, vel suspendendo iudicium, quando liberum est Titio bonam existimationem habere de altero. Sed melius dicendum est simpliciter in hoc non esse peccatum; quia si ut liberum mihi est bonam existimationem de te habere, quando nihil boni de te cognosco, fietiam liberum est mihi eam deponere, nec tibi iniuriam facio, eo quod eam de te semel habitam deponam; quia deponendo, aut suspendendo, nihil, quod tuum sit, aufero, nec malum de te iudico, sed tantum abjicio meam bonam existimationem, quam libere de te conceperam.

De peccatis, quæ in publicis iudicijs contingunt.

CAPVII XII.

TRACTATVM est nobis hoc loco de peccatis, quæ contra octauum Præceptum committuntur in publicis iudicijs, tam ex parte Iudicis, quam ex parte accusatoris, vel actoris, siue ex parte rei, siue ex parte testis, aut aliarum personarum, quæ solent in publicis iudicijs interuenire. Item, quia in nullo alio loco commodius tractare possumus de peccatis in vniuersum, iudicium, accusatorum, & testium? agemus hic de toto ordine iuris, qui seruari debet in publicis iudicijs, & consequenter in vniuersum de omnibus peccatis, in quæ incidere solent supra dicti homines in publicis iudicijs. Ergo, ut recto ordine procedamus, quædam communia in genere sunt præmittenda.

De Iudicio agit Sanctus Thomas. 2. 2. quæst. 67. & sequentibus. Socus. lib. 5. de Iustitia, quæst. 4. & sequentibus. Halea part. 3. quæst. 40. Gabriel, in 4. distin. 15. quæst. 6. Iul. Clarus, lib. 5. Receptionum sententiarum in practica criminali per multas quæstiones. Summistæ, Angelus, Siluest. Rosella, Tabiena, Armilla, in verbo Index, Inquisitio, Denunciatio, Accusatio.

Primo est notandum, in iudicio publico aliquas personas; quasi substantialiter interueniente, iudicium enim non constat, sine iudice, actore, & reo: alie vero personæ interueniunt, licet non substantialiter, ordinatè tamen, ut testis; alie vero interueniunt contingenter, & ordinatè, ut puta assessor, aduocatus, procurator, tabellio siue notarius, executor, siue minister iustitiæ: & de his omnibus est singularim agendum.

Secundò notandum est, Iudicem esse multiplicem; alius enim est ordinarius, qui ex dignitate, vel officio suo habet iurisdictionem. Vnde quicumque habet digni-

tatem, vel officium, cui ex iure, vel consuetudine, vel præscriptione conuenit iurisdictione, dicitur ordinarius iudex. Et hic est duplex, alius est secularis, alius Ecclesiasticus. Sæculares iudices constituuntur, vel ab Imperatore, vel à Rege, vel à Principe, Duce, Marchione, vel Comite, vel à Republica, etiam superiorem in temporalibus non agnoscentibus. Item ex privilegio, ab aliquo Collegio, Vniuersitate, vel communitate hominum, in vnum commune officium incumbentium. Ecclesiastici iudices ordinarij constituuntur, vel à Papa, vel ab Episcopis, aut alijs, Episcopalem iurisdictionem habentibus: Aut eliguntur à Collegijs, Conuentibus, Ecclesijs, siue Capitulis. Alius est iudex delegatus, siue Commissarius, qui ex commissione alicuius superioris iudicis iurisdictionem habet, & eam potest habere, vel generaliter sibi commissam ad omnes causas, lites, siue negotia; aut specialiter, solum ad certam causam, & litem cognoscendam, & ditimendam. Item est alius iudex, qui dicitur arbitrarius, & hic est etiam duplex, vnus, qui dicitur arbiter, nimirum is, qui ex consensu litigantium in iudicem eligitur ad patendum sententiæ ipsius, sub pœnæ obligatione; & hic dicitur etiam compromissarius. Et sententiæ ferre debet seruato iuris ordine, atque sententiæ eius latestate litigantes tenentur.

Alius dicitur Arbitrator, nimirum is, qui ex litigantium consensu eligitur, & item, ut causam dirimat amicabiliter. Et iste non tenetur ferre sententiæ, seruato iuris ordine, sed pro arbitrio, seruata æquitate iuris naturalis.

Quartò est notandum, in iudicio alias causas dici criminales, alias civiles. Criminales dicuntur, quando in iudicio proceditur, ut quis puniatur pœna statuta à legibus; siue corporali, siue pecuniaria ad fiscum applicanda: Civiles dicuntur, quoties in iudicio proceditur, ut quis puniatur pœna pecuniaria, sed applicanda parti lætæ, vel offensæ ad refarciendum damnum eius, vel iniuriam acceptam.

Quinto est notandum, in iudicio aliqua dici crimina publica, aliqua priuata, publica dicuntur dupliciter.

Primo quæcumque directo, & primario offendant commune bonum Reipub. qualia sunt crimen læsæ maiestatis, hæresis, simonia, blasphemia, proditio Reipub. latrocinium, & alia huiusmodi. Priuata vero dicuntur, quæcumque lædunt directo, & primario bonum priuati hominis, licet consequenter, & secundario lædant etiam commune bonum, qualia sunt; homicidium, adulterium stuprum, furtum.

Secundò modo dicuntur crimina publica ea, quorum accusatio, vel denuntiatio pertinet ad quemlibet popularem priuatum, etiam illum: & hæc ratione homicidium, adulterium dicuntur crimina publica, & cetera, quæ directo, & primario committuntur contra commune bonum: priuata vero dicuntur ea, quorum accusatio, vel denuntiatio non pertinet ad quemlibet popularem, sed tantum ad eum, qui læsus est, ut est furtum, damnum, contumelia, iniuria a bonorum partim cælarum, bonorum raptorum.

Sextò est notandum, iudicem posse procedere tripliciter, vel per accusationem, vel per denuntiationem, vel per inquisitionem: de quibus modis dicemus infra.

Septimò est notandum, in iudice tria requiri ad rectè iudicandum.

Primo, ut sit iudex competens, hoc est, qui iurisdictionem habeat ad ferendum sententiæ.

Secundò, ut habeat scientiam competentem: alioqui in multis peccabit ex impetitia, & ignorantia.

Tertiò, ut habeat bonitatem, id est, eas condiciones, & qualitates, quæ secundum leges requiruntur in iudice, nimirum, ne sint infames, suspecti, quales sunt hostes actoris, vel rei, item cognati, vel amici eorundem: de quibus etiam tribus inferius pauca dicemus.

Quo modo cognoscantur Iudex ordinarius,
& delegatus.

CAPVT XIII.

VT cognoscamus discernere iudicem ordinarium à delegato, sunt certa quedam fundamenta, siue de iudicibus secularibus, siue Ecclesiasticis loquamur. Si sit sermo de secularibus iudicibus.

Primum fundamentum est: Iudex ordinarius creari solet ab Imperatore, Rege, vel Principe, quocumque alio supremo, vel Republica, superiorem in temporalibus non habente.

Secundò, tunc censetur ordinarius iudex creari, quoties, ei confertur vniuersitas causarum, & negotiorum ab habente potestatem creandi ordinarium iudicem, nisi expresse dicatur in litteris concessionis, quod delegat ei causas, vel quod facit eum delegatum, vel commissarium: nam tunc esset delegatus iudex, licet ad vniuersitatem causarum. Sic Alexander in l. Prator. ff. De iurisdictione omnium iudicum. Bartolus, in l. More. ff. De iurisdictione omnium iudicum. Item si in litteris dicatur simpliciter, procedas auctoritate nostra, aut procedas omni appellatione remota, censetur tunc concedi iurisdictione ordinaria. Siluest. verb. Delegatus. q. 5. ex communi opinione.

Tertio, ceteri inferiores, vt Duces, Marchiones, Comites, Barones, & respublice superiores in temporalibus habentes, ex privilegio Principis supremi aliquando habent auctoritatem creandi iudices ordinarios, vt in Regno Neapolitano, & in Hispania contingit.

Quarto, si censetur ordinarius iudex, qui habet dignitatem, vel officium, cui annexa iurisdictione ex iure, vel consuetudine, vel prescriptione, vel legis alicuius, aut Canonis etiam speciali privilegio. Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 20. num. 6. ex Abba. Cardinali Felino, in cap. Licet de officio ord. nam ex eo, quod iurisdictione dignitati, aut officio perpetuo datur, censetur ordinaria, cum non sit tunc electa fides, vel industria personæ, siquidem persona est incongrua.

Quinto, tunc censetur delegatus iudex creari, cum alicui à Principe, vel ordinatio, vel delegato Principis committitur certa causa, vel plures distinctæ, & separatæ. Bare. & Alex. supra citatis.

Sextò, quando in litteris concessionis dicitur: Procedas auctoritate nostra delegatè, vel tanquam delegatus, vel delego, aut committo tibi iurisdictionem, aut potestatem: vel concedo tibi talem, vel tales causas dirimendas; aut si dicatur: Procedas appellatione remota, vel alia simili causa vtatur, tunc est delegatus iudex, non ordinarius, Abbas, in cap. Licet de officio ord.

Si verò sit sermo de Ecclesiasticis iudicibus, tunc Prima Regula sit: Papa Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, & omnis Episcopus habet auctoritatem creandi iudices ordinarios: Papa in tota Ecclesia: ceteri in Prouincijs, vel locis, sibi subiectis.

Secundò, in ordinibus regularibus ordinarij censentur Perfecti Generales ordinum, Prouinciales, & ceteri Prefecti, qui supremam habent auctoritatem in singulis Monasterijs, Collegijs, vel conuentibus, quales sunt Priores locorum, Guardiani, vel Rectores vel Prepositi.

Quintò, qui habet dignitatem, vel officium, cui à iure, vel consuetudine, vel prescriptione, vel etiam speciali privilegio à iure, vel canone annexa est iurisdictione Ecclesiastica, censetur iudex ordinarius. Couarr. lib. 3. var. resol. nu. 20. num. 6. ex Abba. Cardinali Felino, in cap. Licet de officio deleg.

Dubium, An Vicarius Episcopi habeat iurisdictionem ordinariam? Respondetur, si est generalis Episcopi Vicarius, habet. Innocen. Hostien. cap. Sua nobis de officio Vicarij, Abb. in cap. Relatum de officio iud. deleg. & sic commu-

nis opinio: si vero non est generalis Vicarius, habet delegatam tantum iurisdictionem, vt notatur in Clementina, esse principalis, de rescrip. Generalis Vicarius dicitur, non ratione loci; quia potest constitui in certo diocesis loco etiam ille, qui est generalis vicarius.

Dicitur ergo Generalis, vniuersitate causarum, quæ ei conceduntur dirimendæ. Nihilominus tamen officium, & potestas Vicarij etiam Generalis, cessat obitu Episcopi. Hostien. Innocen. Aud. in cap. Tua nobis, de offi. iud. deleg. & Abbas, in cap. Quoniam, Abbas eod. tit. Similiter vicem tenentes Regis, vel Principis supremi in secularibus, iurisdictionem habent ordinariam, quales sunt Proreges, & Papæ legati à latere, vt habetur, cap. Legatos, de offi. legat. Vnde non cessat obitu Papæ, vt dicitur, cap. Legatos, citato, quando constitutus est simpliciter: nam secus esset si mitteretur legatus ad beneplacitum Papæ.

Dubium secundum, An quilibet Vicarius, vel locum tenens, vel Vicemgerens, vel substitutus alicuius officialis, habeat iurisdictionem delegatam? Respondetur, Vicarium posse esse triplicem.

Primo, eum, qui constituitur à iure, qualis est Archidiaconus, qui ipso iure est Vicarius Episcopi, cap. t. De officio Archidiaconi.

Secundò eum, qui constituitur ab eodem superiore, à quo creatus est iudex ordinarius, cuius vicem gerit, aut locum tenet.

Tertio, eum qui constituitur ab aliquo officiali in locum sui ipsius. Vicarius primus, & secundus generis habet iurisdictionem ordinariam ex concessione, & permissione ipsius iuris, & principis, sicut olim etiam iurisdictionem ordinariam habebat legatus, & vicarius Proconsulis. Si verò est Vicarius tertij generis, regulariter non habet iurisdictionem ordinariam; habet tamen in his casibus, qui sunt à iure permisi, nimirum quando iudex ordinarius est legitime impeditus, scilicet, aut propter morbum, aut propter iustam, & legitimam absentiam. Vnde, vt ait Couarruias, libro 3. variarum resolutionum, cap. 20. num. 4. Vicarij, qui dicuntur locum tenentes iudicum secularium, qui apud Hispanos vocantur correctores ciuitatum, permissione iuris, & Principis iurisdictionem habent ordinariam.

Dubium tertium, An Inquisitores fidei solum habeant iurisdictionem delegatam? Respondetur, habere delegatam à Papa, vt colligitur ex cap. Vi officium, & cap. Ne aliquis, de hæret. Tabiena Inquisitor, num. 2.

Notandum tamen est, esse speciale in eis, vt non cesset eorum auctoritas, mortuo Papa, qui commisit, cap. Ne aliquis, de hæret. in sexto, hoc enim est privilegium concessum ipsis in fauorem Fidei: sed intelligitur de Inquisitore dato simpliciter: nam si cum clausula constituitur, nimirum, vsque ad beneplacitum eius, qui commisit tunc cessat, mortuo Papa committente, Glossa in cap. Ne aliquis de hæret. in sexto; quia voluntas, vel beneplacitum alicuius durat duntaxat, vsque ad obitum eius, nisi antea renouetur.

Dubium quartum, An conseruatores, qui sunt iudices dati à Papa ad defendendum aliquos aduersus iniurias, & violentas manifestas, habeant iurisdictionem delegatam? Respondetur habere, vt colligitur ex cap. t. 2. & ultimo, de officio iudicis deleg. in sexto, Vnde eorum potestas cessat obitu eius, qui concessit illam, quantum ad negotia non incepta, nisi aliter exprimat in litteris commissionis, cap. Hac constitutione, de offi. iud. deleg. in 6. Quantum verò ad negotia incepta, non cessat, Glossa, & Doct. in cap. Hac constitutione supra citato.

Dubium quintum, In quibus differant iudex ordinarius, & delegatus? Respondetur in multis differre: sed in presentia satis est tres differentias recensere.

Prima est, quod iurisdictione delegati cessat obitu delegantis, nisi aliter fuerit vel in iure statutum, vel in litteris commissionis expressum. Cessat autem, re integra existente l. Et quia. ff. De iurisdictione

ne omnium iudicum, & cap. Gratum, & cap. Licet, de officio iud. deleg. & cap. nemini, de officio legati; iurisdictione autem ordinarij non cessat obitu eius, qui constituitur iudicem.

Res autem, quando dicatur integra, variz sunt opinioniones: nam secundum Azonem, & Glossam, in l. Et quia, ff. de iurisdictione omnium iudicum, tunc dicitur integra, quando ante mortem delegatus facta non est litis contestatio. Itaque putant secundum leges Civiles, ut res dicatur integra, requirit, ut non sit facta litis contestatio. secundum Hostiensem vero in cap. Licet, de offi. iud. deleg. tunc dicitur res integra, quando delegatus non cepit ut iurisdictione: cepisse autem dicitur etiam, quando vocavit tabellionem, siue notarium, & testes & publicavit commissionem sibi factam. At secundum Glossam, in cap. Si subdelegato, de officio iud. deleg. in 6. tunc dicitur cepisse ut delegatus sua iurisdictione, quando commisit suas vires alteri. Vnde si ante mortem delegantis ipse delegatus alterum sub sustinuerit, res non est integra secundum Glossam predictam. Sed has omnes opinioniones merito refellit Panormitanus, in cap. Relatum, & cap. Gratum, & cap. Licet, de officio iudicis deleg. Vbi recte docet ex Glossa, & Archidiacono, & Calderino, tunc dici rem integram, & iurisdictionis usum non esse cepum, quando non est facta citatio partis, siue rei, etiam si non sit facta litis contestatio. Nam in cap. fin. De officio legati, & cap. Gratum, de officio iudicis de leg. tunc iudicium est cepum, quando iudex citaverit.

Si quartas, an cesset delegati auctoritas, si delegans deponatur? Respondet cessare, quoniam depositus acquiratur mortuo. 16. quest. 16. cap. Adhucimus, sic Glossa, & Abbas, in cap. Licet, de officio iud. deleg.

Si secundo roges, an cesset, si delegans transferatur ad aliam dignitatem, vel officium: Respondeo cessare. sic Abbas, in cap. Licet citato. Idem dicendum, si delegans renunciet dignitati, vel officio.

Si tertio queras, an cesset, si delegans excommunicetur, Glossa, in cap. Licet cit., non cessare. Sic etiam Innocen. & Andreas, Hostien. aut cessare, quando est excommunicatus publice, non quando occulte: sic Abbas, in cap. Licet, sic etiam Glossa, in cap. Romana, de officio Vicarij.

Secundo, differt iudex ordinarius à delegato, quod ordinarius habet propriam iurisdictionem, & iure suo eam exequitur: delegatus vero habet usum iurisdictionis iure alieno, & iurisdictionem propriam non habet. l. Quatenus, ff. Qui mandatum, ff. De officio eius, cui mandata est iurisdictione, & l. More maiorum, ff. De iurisdictione omnium iudicum. Quae differentia intelligitur hoc modo: quod ordinarius habet iurisdictionem non reuocabilem ad nutum eius, qui constituit illum, sed iustus ex causis: At delegatus, licet habeat iurisdictionem, habet eam reuocabilem ad nutum delegantis.

Tertio, differt ordinarius à delegato, quod ordinarius regulariter potest delegate alteri suam iurisdictionem, l. More maiorum, ff. De iurisdictione omnium iudicum, & cap. Cum Episcopus, de officio iudicis ordinarij in sexto. Delegatus vero, si est Princeps, hoc est, superiorem in temporalibus non habens, potest quidem ex privilegio legis, & Canonis delegate. l. A iudice, C. De iudicis, & cap. Pastorale, de officio iud. deleg. Est tamen notandum, quod si in licentia commissionis delegati Principis sit aliqua clausula, ex qua obligatur, electam esse personam industriam, vel fidem: tunc delegatus, licet sit princeps, non potest delegate, sicut cum dicitur, Confidimus de tua industria, vel fide, vel committimus, ut exequaris personaliter, per te ipsum. Si vero sit delegatus cuiuscunque alterius inferioris à Principe, non potest delegate, tam ex iure Canonico, quam Civili, l. A iudice, C. De iudicis, & l. More maiorum, ff. De iurisdictione omnium iudicum, & l. fin. ff. De officio eius, cui mandata est iurisdictione, & cap. Cum causam, de appellat. & cap. Licet, de officio iud. deleg.

Si quartas, An huiusmodi delegatus legitime impeditur, iurium morbo, aut iusta absentia, possit delegate? Respondetur, non posse, ut ait Silvester verbo Delegatus, quest. 8. vers. 3.

Si queras, in aliquando huiusmodi delegatus possit delegate? Respondetur, posse.

Primo, quando est delegatus ad vniuersitatem causarum provincie, ciuitatis, castri, villæ, loci, vel Ecclesie, tunc potest vnam certam causam, vel plures, non tamen omnes alteri delegate. Glossa in cap. Cum causam, de appellat. Item si sit delegatus ad plures causas, potest vnam delegate alteri. Glossa in l. Legatus, ff. de officio procon.

Secundo, in vna causa delegate vnum articulum, vel caput cause potest alteri delegate. Clemen. 1. De officio iud. deleg.

Si tertio queras, An cum Prælati, vel habentibus dignitatem, vel officium, est à lege vel Canone privilegium concessum, ut in aliquo casu possint absolvere subditos, aut cum eis dispensare, possint huiusmodi Prælati hoc alteri delegate? Aliqui aiunt, non posse, & probant, ex cap. Ultimo, de officio iudicis deleg. vbi dicitur: (Ceterum salua legatorum sedis Apostolicæ auctoritate, nulli, qui commissum fuerit predicatore Crucem, vel excommunicate, vel absolueri aliquem, vel dispensare cum irregularibus, vel iniungere penitentias, liceat hæc de cetero alijs mandare: quia non sibi iurisdictione, sed certum mandatum potius committitur in hac parte.) Sed die ndum est, eos posse delegate; quia hoc patre dicitur in cap. fin. De officio iud. ordin. vbi, sic habetur: (His, quibus est officio in certis casibus compedit illos absolueri, qui pro violenta manuum intectione incidunt in Canonem sententie promulgatae, licet alijs huiusmodi absolutionem committete, cum viderint expedire.) Hæc ibi. Et ita sentiunt Innocen. Glossa, & Panormitanus Ibi. Vnde hæc duo capita iuris Canonici non sunt contraria sibi invicem, ut quidam putant: nam caput vltimum, de officio iudicis ordinarij intelligitur, quod ijs, quibus à lege, vel Canone, vel consuetudine, vel præscriptione, vel ex privilegio legis, vel Canonis, vel denique ex dignitate, aut officio suo conuenit, siue conceditur facultas absolueri, vel dispensandi, excommunicandi, vel aliud faciendi, possint eiusmodi potestatem alteri committere, seu mandare.

Caput vero vltimum, De officio iud. delegati, intelligitur, quod ijs, quibus tantum est commissa facultas aliquid faciendi, non possint huiusmodi facultatem alteri delegate.

Ex quo sequitur, ut Parochialis Sacerdos possit committere alijs presbyteris approbatis ab ordinario, ut audiant suorum subditorum confessiones, & alia sacramenta conferant suis subditis.

Item, Abbas: qui habet auctoritatem admittendi, ad confessionem, potest hoc committere alteri.

Item, Episcopus, qui habet auctoritatem consecrandi Episcopum, & consecrandi Ecclesias, potest hoc alteri Episcopo mandare. At vero, si quis solum habeat commissam facultatem creandi notarios, vel tabelliones, legitimum, vel dispensandi, non potest hoc mandare alteri. lege Couarruam, lib. 3. variarum resolutionum, cap. 20. num. 1. & sequentibus.



Quænam causa dicatur criminalis, & quæ civilis in iudicio.

CAPVT XIV.

PRimum est notandum, causam iudicalem esse multiplicem, ut colligitur ex Glossa, et quæst. 5. in summa. Primum dividitur causa iudicialis in secularem, & Ecclesiasticam. Seclularis pertinet ad iudicem seclularem; Ecclesiastica ad Ecclesiasticum. Deinde Seclularis, & Ecclesiastica dividitur in criminalem, & civilem. Criminalis dicitur, cum agitur directo de crimine puniendo publica vindicta, aut absolucendo, ut in cap. At si clericus, & cap. Cum non ab homine, de iudicijs, & cap. Super prudentiam, 12. quæst. 2. & cap. Frater noster, 16. quæst. 1. Civilis dicitur, cum agitur rei vindicatione in causa pecuniaria, in cap. Super prudentiam, citato.

Item in causa criminali in iudicio aliquando agitur criminaliter, nimirum cum agitur de crimine ad vindictam publicam; aliquando vero agitur civiliter, nimirum cum agitur ad obtinendum id, quod partis litigantis interest.

Si queratur, An quando proceditur in iudicio ad penam pecuniariam, procedatur criminaliter, an vero civiliter? Respondetur, licet in hoc Glossa, & Doct. variè loqui videantur, concordia tamen est, quod quando pena pecuniaria applicanda est lico, tunc procedatur criminaliter. Sic Innocentius in cap. Qualiter, & quando, 2. de Accusationibus. Glossa & Bart. in l. prater, ff. De sepulchris violatis; quia tunc intenditur publica vindicta criminis per penam pecuniariam: sicut intenditur per penam capitis, siue corporis. Quando vero pena pecuniaria applicanda est lico pro eo, quod eius interest; tunc procedatur civiliter.

Secundo queritur, An quando agitur de crimine, ut quis amoveatur à beneficio, dignitate, vel officio, sit causa criminalis, an vero civilis? Respondetur, communem esse sententiam, tunc civiliter procedi, non criminaliter; quia tunc non intenditur publica vindicta criminis, sed communitatis bonum, sicut in alijs civilibus causis intenditur partis commodum, vel id, quod sua interest.

Tertio causa Ecclesiastica dividitur in spiritualem, & annexam spirituali. Spirituality est ea, in qua agitur de matrimonio, de consanguinitate, & affinitate, item de alijs sacramentis, & sacramentalibus.

Item de primitijs, & decimis: Item de locis, personis, & rebus factis consecratis, aut benedictis. Causa annexa spiritualibus est, cum agitur de rebus annexis spiritualibus, quales sunt causæ de beneficijs, pensionibus, de iure patronatus, de iure sepulture, de legitimis natalibus, ut constat ex tit. Qui fil. sint legitimi.

Secundo notandum est, crimina, siue delicta alia esse mere Ecclesiastica, alia mere seclularia, alia mixta, siue communis fori. Mere Ecclesiastica sunt, quorum cognitio soli pertinet ad iudicem Ecclesiasticum, etiam si laicis, & seclularibus committantur, unde mere Ecclesiastica solum iudicantur, & puniri possunt à iudice Ecclesiastico. Mere seclularia iudicari possunt solum à iudice seclulari. Ea vero, quæ sunt mixta, & communis fori, possunt iudicari in utroque foro Ecclesiastico, & seclulari. Unde in eis datus præventio, id est, delictum ab eo iudice cognoscitur, qui in iudicando præuenit. Crimina mere Ecclesiastica sunt hæresis, schisma, & quæ sapunt hæresim, vel schisma, cap. Ad abolendam, & cap. Excommunicamus, de hæret. Item simonia, ut in toto titulo, de simonia.

Item, cum iudices seclulares violant immunitatem Ecclesiarum, ut Clericos ad suum forum trahendo, aut contra Canones, & Ecclesiam, delinquentem extrahendo, ut colligitur, ex cap. Saculares, de foro competentis, in sexto.

Item, quando agitur ad separationem toni faciendam propter fornicationem, vel alia crimina, aut legitimas causas coniugum, ut constat ex toto titulo de diuortijs.

Item ad Ecclesiam pertinet, quemlibet Christianum, Infit. Moral. Par. 3.

peccatorem ad penitentiam sacramentalem compellere præcepto, alioqui nolentem, à communione, & consortio fidelium repellere, cap. Prædicandum, 22. q. 1. & 8. q. 1. cap. Illi qui. item ad confessionem sacramentalem semel in anno; item ad communionem in Paschate, alioqui solet Ecclesia excommunicare nolentes, cap. Omnis utriusque sexus, de penit. & remiss. Item ad peccatorum satisfactionem, & penam ad damnum, & rei alienæ, per iniustitiam ablatæ, aut detentæ restitutionem, cap. Si Sacerdos, de offic. ordinarij. Item procedit ordinarius contra laicum excommunicatum, in excommunicatione persequentem ultra annum, cap. Grauem, de penit.

Item, cum quis rem alienam vi, vel clam, vel per iniustitiam accipit, aut detinet, & in iudicio seclulari ad restitutionem cogi nequit ob defectum probationum: tunc per censuras Ecclesiasticas ab ordinario cogi potest, & solet ad restituendum, cap. Si Sacerdos, de officio ordinarij.

Item, ubi quis detinet debitum, vel rem alienam cum peccato mortali, & est tale debitum, ad quod nulla compertactio, & proinde recuperari non potest in iudicio seclulari, resilius, in cap. Mout de iudicijs, Abbas, cap. 1. de concess. præben.

Si queratur, Quid, si quis obtinuit aliquid per sententiam iniustam, & transit in rem iudicatam, an possit contra eum agi in iudicio Ecclesiastico ad restitutionem.

Dux sunt opiniones. Prima asserit, non posse, quia obstat exceptio rei iudicatæ. Sic Bartolus in Extraneanti, Ad reprimendam, in verbo Denuntiationem, & Balzus, in cap. Si quis per triginta, Collatione 10. de Euentu.

Secunda sententia ait posse, sic Abbas loco supra citato, ex Hostiensis. Certè hæc sententia videtur probabilior, præsertim quando notoriè constaret, sententiam esse iniustam, aut quando elata essent iudicia, aut quando victor in lite postea confessus fuerit pro se latam esse sententiam iniustam.

Crimina mere seclularia sunt, homicidium, furtum, rapina, contumelia à laicis commissa. Crimina permixta sunt utraque, ut patet in toto capitulo de Viuis: quod crimen ad suum forum traxit Ecclesia, quoniam vituas aliquas permittunt leges civiles. Item adulterium, cap. 1. De officio ordinarij. Causa huius est, qui adulterium est violatio Matrimonij, quod est sacramentum. Item concubinatus, Concl. Titid. ff. 24. cap. 8. Concl. Tolet. x. e. 17. & referitur, e. Is qui, dist. 34. & Concl. Later. sub Leone X. ff. 9. hoc peccatum ad suum forum pertinere voluit Ecclesia, tum quia aliquem concubinatum permittunt leges civiles, tum etiam, quia saltem in coniugatis est in contemptum sacramenti Matrimonij. Item crimen Sodomie: nam in e. Clerici, de excessib. Prælati, aperte dicitur: (Qui in hoc crimen incidit, si Clerici fuerint, deiciantur à Clero, vel ad agenda penitentiam in Monasterijs detundantur. Si laici, excommunicationi subdantur, & à ecclia fidelium sunt penitus alieni.) Hæc ibi. Item blasphemia in Deum, vel Sanctos, e. Statuimus, de maleficijs. Item cum peccatur contra pacem, quæ est vinculum charitatis; ad Ecclesiam etiam pertinet compellere, ut seruetur e. Nouit, de iudicijs, & cap. 2. De tregua, & pace.

Item ad Ecclesiam pertinet cogere, ut pacta, promissiones, & iuramenta firmata seruentur, ne pacis fœdera soluantur, e. Nouit, de iudi. Item ad Ecclesiam etiam pertinet per damnationem Evangelicam quemlibet Christianum de quocunque peccato mortali compellere; quod si correptionem contempserit, per distractionem Ecclesiasticam coercere, e. Nouit, de iudi. Item ubique iudex seclularis iniustitiam exequi, aut exercere non vult, aut negligit, tunc Ecclesia iudicat, e. Licet ex suscepto, & e. Ex tenore, de fo. compet. Hoc intelligitur, quando iudex seclularis supremam habet iurisdictionem in temporalibus & intelligitur etiam, quando per mortem eiusmodi iudicis seclularis vacat iurisdicctio, & potestas. Item quando laicus debitor est obligatus ratione iuramenti, tunc conveniri potest coram iudice Ecclesiastico ratione iuramenti, cap. finali, De foro competentis, in 6.

Item, quando coram iudice seculari vertitur in dubium de validitate iuramenti, utrum obliget, an non: aut dubitatur an hoc, vel illud sit peccatum, an non: tunc iudex Ecclesiasticus cognoscit. Sic Abbas, *cap. Cuius contingat de iure iuran.* quia iudices seculares de peccatis exacte diiudicare non possunt.

Item Ecclesia cognoscit de quocunque, qui facilegium commiserit. *18. quæst. 4. cap. Quisquis. Et cap. Cum sit generale. De foro compet.* Vnde Ecclesia cognoscit, si laicus detinuerit rem alicuius Ecclesie, vel clerici, ut quando spoliavit clericum, vel Ecclesiam, possessionem alicuius rei, *cap. Si clericus laicum. De foro compet.*

Si quæras, An in his criminibus communis fori Episcopus possit procedere contra laicos, capiendo eos, & in carcerem mittendo, & puniendo an verò solum contra eos Ecclesiasticas censuras ferendo?

Dux sunt opiniones, prima asserit, posse capere, in carcerem coniecere, & punire, ut refert Iul. Clar. *lib. 5. Recepta. sententia. in pract. criminali quæst. 37. num. 8.*

Secunda opinio ait, solum posse procedere contra eos per censuras Ecclesiasticas. Quam opinionem communem esse ait Iul. Clarus *loco citato*, sed prima opinio videtur verior.

Si secundo quæras, An si pro his delictis reus fuerit in foro Ecclesiastico absolutus, vel punitus, deinde etiam per iudicem secularem possit puniri? Respondet Iul. Clarus *libro citato, quæst. 37. num. 4. Et 12. posse*, quod intelligis, nisi sufficienter ab eo iudice fuisset punitus.

Quis censetur Index competens.

CAPVT XV.

Ex iure civili, & canonico colligitur, iudicem aliquem esse competentem, multis modis. Nam quis potest sortiri forum, Primo ratione causæ, de qua in iudicio agitur, ut puta, si causa sit spiritualis, vel annexa spirituali, tunc solum coram iudice Ecclesiastico agi potest. Item Ecclesia cognoscit delegatis, donationibus, testamentis, & alijs quibuscunque relictis ad pias causas. *cap. Cum esset. Et cap. Relatum 1. de testamen. Et ibi Glossa Et Doctores.* Item solum Ecclesia cognoscit de causa feudali, ubi cunque laicus feudum habet ab Ecclesia, *cap. Verum, de foro compet. Et ibi Doctores.*

Secundo sortitur quis forum ratione criminis, ut si crimen est mere Ecclesiasticum, de eo solum iudicat Ecclesia; si est mere seculare, solum contra illud procedit iudex secularis; si est communis fori, potest laicus conveniri tam coram Ecclesiastico, quam coram seculari iudice, quæ verò sint ista crimina dixi *cap. precedenti.*

Tertio sortitur quis forum ratione loci; & hoc tripliciter, vel ratione originis, vel domicilij, vel delicti, quod alicubi patrauit. Ratione originis, *in l. Si ut proponis. C. De municip. Et originarijs lib. 10.* Notandum est, filios sequi originem patris, non matris, id est, ex ea patria censeri oriundos, in qua ortus est pater, non autem in qua solum est nata mater. *l. Filios. C. De municipal. lib. 10. Et l. Assumptio. §. 1. ff. Ad municipalem.*

Item si avus fuerit aliunde oriundus, non censetur nepos ex ea patria oriundus. *Glossa, in l. citata. Filios.*

Item censetur quis oriundus ex civitate, si natus fuerit ipse, vel pater eius in vico, castello, vel villa intra territorium illius civitatis, *l. Qui ex vico. ff. Ad municipalem.*

Item vulgo quæsti censentur oriundi ex patria, in qua nata est eorum mater, quia certum patrem nominare non possunt. *l. eos, qui iustum. ff. Ad municipalem.*

Ratione domicilij sortitur quis forum, *cap. Licet, de foro compet. l. Senatores. C. Vbi Senatores, vel clarissimi conveniantur.* Domicilium dicitur, ubi quis habet rem suarum summam, id est, magnam partem, vel ubi latem, id est, familiam constituit. *l. Cives. C. De incolis, lib. 10.*

Notandum est, ad domicilium satis esse alterum istotum, nimirum, ut quis lates alicubi constituat. Hoc autem tunc accidit, quando, quis familiam suam alicubi constituit, animo habitandi ibi perpetuo, vel assidue; non autem si constituat iterum inde discessurus; hoc enim non facit incolam, sed peregrinum, *ut ait Glossa, in l. Cives citata.* Vel satis est ad domicilium, ut quis rem suarum summam, id est, magnam partem alicubi habeat: non autem requiritur, ut habeat maiorem partem suorum bonorum: satis enim est, ut non habeat alibi plus rerum suarum. *Glossa in l. Cives citata.* Quod si quis nihil habeat, satis est, ut alicubi perpetuo, vel assidue commoretur. *l. Senatores, cap. Vbi Senatores, vel clarissimi conveniantur.*

Item sola domus possessio non constituit domicilium. *l. Libertus. §. Sola. ff. ad municipalem.*

Item potest quis habere domicilium in pluribus locis, *l. Assumptio. §. Iurisprudentibus. ff. Ad municipalem. Et cap. Ex parte, de foro compet.* Verum, si quis in duobus locis æqualiter fuerit instructus, id est, æquale, quæ sunt ad rem domesticam necessaria, collocaverit. *l. Eius scanda. §. Celsus. ff. Ad municipalem.* Alioquin si in uno loco maiorem partem suarum rerum habuerit, ibi censetur domicilium habere. *l. Senatores, supra citata.*

Item origo patris non censetur domicilium filij, maxime si filius habeat alibi domicilium, *l. Libertus. §. Patris. ff. Ad municipalem.*

Item vagabundus in quocunque loco puniri potest ob delictum in quo deprehenditur: nam, ut ait Glossa, *in l. 1. C. Vbi de criminibus agi oportet:* Vbi te invenero, ibi de iudicabo; quam Glossam communiter esse receptam, ait Covarruvias, *in pract. quæstionibus, cap. 11. num. 7.* Vagabundus verò dicitur, qui non habet alicubi certum domicilium, in quo habitat, etiam si habeat domicilium originis, id est, etiam si habeat partem, alicubi domicilium certum habitationis habentem, ut docet Iul. Clarus, *lib. 5. Receptorum sententia. in pract. criminali, quæst. 39.*

Ratione loci, in quo quis delictum commisit, sortitur forum, *cap. Licet. Et cap. Pastulasti, de foro competenti, Et l. 1. C. Vbi de criminibus agi oportet, & Glossa communiter recepta, in l. solent. ff. De custodia reorum, Et in l. A Diuo Pio, §. Sententiam. ff. De re iudicata.*

Si quæras, Quid, si aliquis crimen commiserit in exercitu Mutinensium posito in territorio Bononiensi, an possit puniri a iudice Mutinensi exercitus? Respondetur posse ex communi opinione probari Iulius Clarus, *lib. 5. citato, quæst. 38. num. 4.*

Si secundo roges, Quid, si Titius mandavit aliquod delictum patri, an sit puniendus in loco, in quo fuit iniunctum mandatum; an verò in loco, ubi sequutum est delictum? Respondetur, eum puniri debere in loco, in quo fuit consummatum crimen, non autem in loco, ubi Titius mandavit fieri. Hanc docet esse communem opinionem Iulius Clarus, *libro citato, quæst. 38. num. 9.* Et ratio est, quia mandans non tenetur ex mandato, sed ex delicto tanquam ex effectu, & damno propter mandatum.

Si tertio roges, Quid, si Titius commiserit homicidium Florentiæ, ut redderet securam, & tantum Cavum Senensem, qui Caius, postea Senis ratum habuit homicidium Florentiæ patratum: an Caius ratificans homicidium, puniri debeat Florentiæ, hoc est, in loco, ubi ratificatio homicidij est consequuta? Respondetur, puniri debere Florentiæ, ubi est commissum delictum, ut docet communis opinio, quam refert Iulius Clarus, *libro citato, quæstione 38. num. 7.*

Si quarto quæras, Quid, si Titius cum alijs tractavit de homicidio committendo extra territorium, & postea commissum est homicidium intra territorium, an puniri debeat in loco, ubi tractatus est factus, an verò in loco, ubi patratum est homicidium? Respondetur ante homicidium patratum puniri debere

in loco, ubi est tractatum de eo committendo: post commissum verò homicidium esse puniendum in loco, ubi est patratum delictum, ut docet Iulius Clarus loco citato, num. 8.

Si quòdò quæras, quid, si Titius existens in certo aliquo territorio, sagittam, vel telum aliquod emittat, & interficiat Catum existentem in alio territorio, à quo Iudice puniri debeat? Respondetur, puniri posse in utroque territorio. Vnde inter iudices utriusque territorij erit locus præventionis, ut is, de delicto cognoscat, qui prævenit. Hanc esse communem opinionem ait Iulius Clarus, libro citato, num. 9. & idem esse dicendum, si aliquis commiserit delictum in confinibus duorum territoriorum, ita ut dubium sit, in quo illorum territorio delictum fuerit patratum.

Si sextò roges, Quid, si Titius furetur rem aliquam, Verbi gratia, Florentiæ, & postea contulit se eum refurtiva ad civitatem Senensem, an puniri possit à iudice civitatis Senensis? Respondetur, ut refert Iul. Clarus, loco citato, num. 16. duas esse opiniones. Una asserit posse puniri, quam idem auctor tradit sequutum esse Bart. & multos alios iudices in praxi. Secunda opinio communior, & verior, quod puniri debeat Florentiæ, ubi patratum est furtum.

Si septimò roges, Quid, si laicus commiserit delictum in Ecclesia, an puniri debeat à iudice Ecclesiastico, etiam si crimen sit mere seculare? Respondetur, ut refert Iulius Clarus, libro citato, num. 18. Cynus sentit puniri debere à iudice Ecclesiastico; sed communiter rejicitur. Vnde dicendum est eum puniri debere à iudice seculari.

Item ratione personæ sortitur quis forum, V. g. Si est Clericus, conveniri non potest, nisi coram iudice Ecclesiastico: nomine Clerici intelligitur quicumque est insignitus prima tonsura clericali, etiam sola, siue alijs ordinibus. Item quicumque regularis, ut est communis omnium opinio. Præterea hoc privilegium clericale, quod dicitur privilegium fori, intelligitur quando convenitur, non quando est actor, siue accusator; quia tunc actor sequitur forum rei, cap. Cum sit generale, De foro competenti. Item huic privilegio non potest Clericus etiam spontem sua, immo etiam consensu Episcopi renuntiare; quia est privilegium non in gratiam personæ, sed in gratiam, & bonum status clericalis. Item intelligitur hoc privilegium, quando clericus convenitur, non tamen si reconvenitur: nam tunc potest laicus clericum reconvenire coram iudice seculari. Glossa, in cap. At si clericus, de iudicijs, & ibi. Innocentius, Hostien. & Andreas.

Item serui, & famuli, & familiares Ecclesiarum conveniuntur coram iudice Ecclesiastico, cap. Ecclesiarum servos, 12. quæst. 2. & Glossa in cap. Eos, dist. 32. & in cap. Clericum 1. 11. quæst. 7.

Item miserabiles personæ, nimirum pupilli, orphani, viduæ, pauperes, pertinent ad forum Ecclesiasticum, quantum ad earum personarum causas iudicandas, cap. Super quibusdam, de verb. sign. & cap. ex tenore, de foro compet. & cap. Significantibus, de officio iud. deleg.

Sed notandum est harum personarum miserabilium causas non omnes pertinere ad Ecclesiam, sed solum quantum ad defensionem, & protectionem earum, ut docet Glossa, in cap. Significantibus citato. Immo consuetudo obtinuit alicubi, ut etiam caulæ earum, quantum ad defensionem, cognoscantur à iudice seculari.

Item ratione contractus irriti sortitur quis forum cap. Volentes, de privileg. Item ratione rei, de qua agitur sortitur quis forum, nimirum, ubi iudicetur, ubi res de qua agitur, sita est.

Vltimò, si quæras, ubi nam incipiat iudicium, & quot modis finiatur? Respondeo, ex communi sententia omnino incipere in litis contestatione. Hoc autem intelligitur, si de iudicio loquamur proprie, & strictè: nam ante litis contestationem præcedunt multa alia, ut citatio partis,

siue rei, libelli oblatio, in quo actor, siue accusator petit officium iudicis contra reum, examinatio partium, & confessio, productio testium, & exceptio, qua reus conveniendus solet opponere aliquas exceptiones contra actorem ad impediendam litis contestationem, ita ut exceptio nihil aliud sit, quam actionis exclusio.

Si roges, quid sit litis contestatio? Respondetur: est actus iudicarius in scriptis per actorem coram competenti iudice, facta narratione, & petitione expressa, vel inclusa negotij principalis, ubi actor interrogat, vel insilit, & reus respondet, vel negando, vel confitendo.

Item iudicium finitur, sententia in iudicio lata, qualis in iudicio finem accipit ex sententia, & re iudicata: in qua parte vltima iudicij solent intercedere tria: sententia, per quam lites tranſiunt rem iudicatam, appellatio, & executio. Item in iudicio solet intercedere iuramentum de calumnia, quod tam actor, quam reus præstant. Actor iurat se bona fide, non animo calumniandi, causam, & litem movisse: reus quoque iurat se bona fide, & non animo calumniandi, responsum.

De Iudice.

CAPVT XVI.

CIRCA Iudicem multa quæri possunt. Primum est, An aliquando iudici licitum in iudicio procedere, sine accusatore? In hæc certum est apud omnes in iudicio regulariter nunquam esse procedendum sine accusatore, vel actore. l. Rescripto. §. Si quis accusatorem. ff. De muneribus & honoribus, ut infra dicemus. Hoc tamen intelligatur sine accusatore verò, vel æquivalenti: quoniam denunciator non est verus accusator, & tamen aliquando proceditur in iudicio ob denunciationem criminis, ab aliquo delati ad iudicem.

Item, qui querelam proponit, non est verus accusator & tamen proceditur in iudicio aliquando ex querela, ab aliquo propofita coram iudice contra alium.

Item aliquando procedit iudex ex evidentia patris criminis, quia evidentia facti locum habet accusatoris, nimirum, quando non solum notorium est crimen commissum, sed etiam notorius est auctor criminis, cap. Evidentia de accusationibus, & cap. Manifesta. 2. quæst. 1.

Item aliquando procedit iudex ex officio per inquisitionem, & tunc procedit contra aliquem, præcedente diffamatione illius: nam diffamatio locum habet accusatoris, ut de his omnibus agemus inferius. Tota igitur rei difficultas consistit in hoc, an evidentia criminis, quando notorium est crimen, oculus tamen est auctor eius; habeat locum accusatoris, ita ut iudici sit licitum inquisitionem ex officio facere, inquirendo, quis illud crimen commiserit? V. g. læcet in via publica homo interfectus ab aliquo, vel notoriè constat domum alicuius esse igne exustam, vel diripram, nesciunt tamen, quis illum occiderit, aut quis domum igne incenderit, aut quis diripuerit.

Sunt duæ opiniones. Prima asserit, non esse licitum iudici procedere inquirendo in genere, quis illum occiderit. Sic sentit Sorus, in lib. De ratione regendi, & detegenti secretum, memb. 2. q. 6. dub. 4. & lib. 3. de iustit. q. 6. art. 2. Caues. 2. q. 69. art. 2. Silu. in verb. Correctio, q. 8. & verbo Inquisitio 1. q. 3. & Artil. in verb. accusatio, nu. 28. Immo Silu. & Caiet. aiunt, & S. Thom. in quodam Capitulo Generali, rogatū de hoc dubio, respondisse, esse licitum iudici procedere inquirendo, & reum, si inter alios interrogetur, quis commiserit delictum, obligari ad veritatem detegendam, & tamen ceteros illos capituli doctores contra illum sensisse. Opinio secunda asserit, esse licitum iudici procedere, in genere inquirendo. Sic Bart. in l. fin. De quaest. & in l. 1. eod. tit. §. Qui quaestorem. Sic etiam Iul. Clarus, lib. 5. Receptorum sent. in pract. crim. q. 6. nu. 1. & eod. lib. & practica criminali, quæst. 5. num. 6. per totum.

fic Nauatius in *Manuali*, cap. 18. num. 38. Cordubensis in *sua Summa* casuum conscientia vulgari, quæst. 64. Paludanus, in 4. distict. 19. q. 4. ad finem, Antoninus, par. 2. tit. 9. cap. 5. 2. Taberna, verb. *Inquisitor*, quæst. 7. & 8. aperte hanc sententiam docent Innoc. in cap. *Bona memoria* r. de elec. & ibi, Abbas, & aiunt totum mundum hanc praxim seruare.

Prima opinio innititur iure ipso Canonico, quia in cap. *Qualiter*, & quando 2. De accusationibus aperte statuitur, ut iudex per inquisitionem non procedat, nisi præcedente publica fama contra aliquem: sicut per accusationem non potest procedere, nisi præcedente accusatore: & per denunciationem, nisi præcedente correptione secretæ.

Secunda verò opinio probatur, quia alioqui multa crimina manerent impunita. Item, quoniam, cap. *Evidentia*, de accusationibus, & cap. *Manifesta*, 2. quæst. 1. aperte dicitur, quod evidentia patiarum sceleris non indiget accusatore.

Item, quia, quod ad inquisitionem generalem fama contra aliquem præcedere debeat, solum est ex iure humano constitutum Canonico, & civili, non autem iure naturali, vel diuino. At verò ius humanum potest consuetudine contraria tolli: sed consuetudine est introductum, ut in huiusmodi casu procedat iudex inquirendo in genere, ergo, &c. Item, quod fama debeat procedere inquisitionem, solum est, quando inquit iudex specialiter contra certam personam, ut colligitur, ex cap. *Qualiter* & quando 2. De accusatio. & ut nos infra ostendemus. Item vltus est in Ecclesia, ut Episcopi ferant excommunicationes in genere contra eos, qui iniquè detinent alienum, nisi intra certum tempus restituerint.

In hac re videtur secunda opinio probabilior propter eas rationes.

Sed in ea existunt aliqua dubia. Primum, an possit iudex generaliter inquirere in casu prædicto, quando non constitit de crimine, si tantum præcesserit publica fama de delicto, Verbi gratia Iudex non constat furtum esse in domo alicubi, sed fama est esse parricidum, & occisus est fur, an possit tunc iudex inquirere generaliter, quis furtum commisit? In hoc auctores secundæ opinionis solum loquuntur, quando notorium est crimen, ita ut etiam ipsi iudici constet, & occultus est auctor criminis. Nihilominus tamen Bartolus, in l. ff. De quæstionibus. §. *Qui quæstionem*, aperte docet, posse iudicem generaliter inquirere de crimine, præcedente publica fama delicti, quia sicut, inquit, præcedente fama contra auctorem criminis, potest inquirere contra illum, ita præcedente fama criminis, potest iudex generaliter inquirere de crimine.

Secunda difficultas est, an iudex in prædicto casu generaliter inquirenti reus teneatur se prodere, si iudex inquirendo generaliter inter alios interroget reum, quis delictum commisit? Ratio dubitandi est, quia si secunda opinio sit vera, iudex generaliter inquirendo iure interrogat, quis crimen commiserit: at iudici iure interroganti reus teneatur veritatem fateri, alioqui contra iustitiam facit. Item quoniam in cap. *Quidam maligni*, s. quæst. 1. Cum quidam nocturno silentio libellum infamatorum contra notarium Pontificis divulgasset, iubet Gregorius, ut se prodar, & crimen obiectum probet, publice accusando, alioqui si id non præstet, obtineat à perceptione Eucharistia, sin minus sit excommunicatus: in hac re ij, qui sequuntur primam opinionem, consequenter dicunt nullum obligari in hac inquisitione generali ad detegendum reum, nec testem, nec socium criminis, nec ipsum reum obligari, quoniam nulla præcessit infamia: ita ait Silu. *Inquisitio*, r. quæst. 3. vnde secundum eos auctores, hæc inquisitio generalis solum prodest, ut si forte sit infamia, vel indicia contra aliquem, quæ iudicem latebant, pateant, & nota fiant ipsi iudici, non autem prodest, ut quis detegat ipsum reum, at verò, quoniam diximus generalis inquisitione licitè

fieri; ad hanc difficultatem responderet reum non esse obligatum ad se ipsum prodendum in prædicto casu, iudici generaliter inquirenti, & ipsum interroganti, quia etiamsi dixerimus iuxta secundam opinionem, iudicem licitè generaliter inquirere, non tamen intelligitur, quod ius habeat interrogandi reum: nam, ut infra dicemus, ut iudex habeat ius interrogandi reum, necesse est, ut præcedat vel plena, vel semiplena probatio, fama, vel indicia contra reum: sed nihil horum in prædicto casu præcedit. Item in prædicto casu evidentia criminis, vel publica fama delicti, quando iam conuictus est auctor criminis, solum habet locum, & vicem accusatoris, ut iudex possit generalem inquirere contra crimen: sed etiamsi præcedat accusatio, denuntiatio, vel querela contra aliquem, iudex non habet ius interrogandi reum, nisi simul etiam præcesserit plena, vel semiplena probatio contra reum, fama, vel indicia.

Tertia difficultas est, An in prædicta inquisitione generali, si iudex interroget socium eius, qui commisit crimen, teneatur socius criminis detegere ipsum auctorem delicti? Responderet non esse obligatum, quia detegeret cum detrimento, & periculo manifesto sui ipsius, quia reus semel detectus, iure rogaretur de socio, & adiutore criminis, & ita teneretur socium criminis prodere, ut infra dicemus.

Quarta difficultas, An in prædicta inquisitione generali, si Titius, qui nouit auctorem criminis interrogaretur à iudice teneatur auctorem criminis detegere, & si negamus in prædicto casu Titium, vel solum, vel vna cum alio, aut alijs duobus nouisse auctorem criminis, ita ut si præcessisset accusatio contra reum, Titius, ut testis vocatus teneretur illum detegere.

Ratio dubitandi est, quia si Titius non teneretur reum detegere ad nihil conduceret generalis inquisitionis iudicio.

Item iudex cum interrogat, quis commiserit crimen, ius habet interrogandi, ut diximus iuxta secundam opinionem, ergo Titius tenetur suum testimonium reddere, veritatem fatendo. Ad hanc difficultatem quidam respondent, Titium esse obligatum ad detegendum reum criminis propter duo argumenta facta.

Alij verò respondent, quod si Titius solus nouerit, eum non teneri. Si verò vna cum ipso alius, vel alij duo nouerint, tunc obligari, ratio eorum est, quoniam si vna cum alijs nouit, iure potest malefactorem accusare, sed in casu, quo iure potest accusare, veritatem fateri tenetur, si de ea à iudice iure interrogetur: at si solus nouerit, eum non potest tunc accusare, non tenetur interrogatus, ut testis veritatem occurrat detegere.

Sed hæc responsio non placet, quia non est maior ratio cui teneatur Titius, quando alius nouerit vno cum ipso reum, quam quando solus ipse nouerit, quia sicut quando duo, vel tres sunt testes contra aliquem, plenam faciunt probationem, & tribuunt ius interrogandi reum etiam per torturam, sic etiam vna testis omni exceptione maior facit semiplenam probationem, & tribuit ius iudici interrogandi reum. Item eum non teneatur reum detegere, etiam si solus ipsum nouerit, si quidem in eo casu potest saltem per denunciationem crimen deferre ad iudicem, ut ipse iudex ex officio specialiter inquireret contra reum denuntiatum. Quare alijs videtur esse dicendum, in prædicta inquisitione generali, Titium, siue ille solus nouerit, siue vna cum alio, non teneri ad detegendum reum: quia duo, tres, vel quatuor testes non faciunt publicam famam contra reum: sed in inquisitione ad hoc, ut reus detegatur, necesse est publica fama præcedat contra ipsum, & in prædicto casu solum est evidentia, vel publica fama criminis, auctor verò delicti est occultus, ergo non debet detegi à Titio.

Si obiecas, evidentia criminis in prædicto casu succedit loco accusatoris, sed si præcessisset accusatio contra reum, & Titius, vel solus, vel vna cum alio nouisset reum, tene-

teneretur vocatus, vt testis, fatenti veritatem, ergo etiam in prædicto casu. Respondetur, secundum hos evidentiam criminis, quando non solum crimen ipsum est notorium, sed etiam notorius est reus, succedere in totum loco accusatoris, & perinde tribuere ius interrogandi quemlibet, testem. At verò quando solum crimen est notorium, & non reus, tunc evidentia criminis succedit ex parte, loco accusatoris, id est tribuit ius inquitendi contra crimen notorium, non tamè tribuit ius procedendi contra aliquem in speciali, interim dum occultus est reus.

Et probatur, quia si casu iudex interrogasset in speciali Titium de Caro, utrum illud crimen commiserit, Titius nõ posset iure Carum reum detegere: ergo etiam si iudex generaliter inquirat, quis commiserit crimen, Titius non teneatur reum detegere.

Sed certè probabile est admodum Titium obligari ad detegendum reum, siue ipse solus nouerit, siue vna cum alio, vel aliis nouerit, quoniam iudex hinc inquitit, & licetè interrogat: nem quoniam Titius in casu prædicto, vel posset accusare reum, vel saltem posset crimen eius denunciare, vt infra dicemus: ergo cum iure ad iudicem interrogetur, quis crimen commiserit, tenetur reum detegere, & reus sibi imputet, siquidem delictum notorium perpetravit, vno eum vidente, aut duobus, vel tribus.

Quinta difficultas sequitur ex dictis, ad quid conducat inquisitio iudicis generaliter facta, in prædicto casu, siquidem nec reus, nec socius criminis, nec Titius, qui solus vel cum alio nouit reum, tenetur interrogatus malefactorem criminis detegere. Respondetur ex Innoc. Abbate, Bartolo, quos sequitur Siluester *verbo Inquisitio. 1. questio 3. vers. 4.* prodesse ad hoc, vt ex ea deueniatur ad specialem inquisitionem contra eum, qui nominatus fuerit in generali inquisitione. Vnde non prodest generali inquisitio ad puniendum, torquendum, vel condemnandum ex malefactorem, sed ad inueniendum, vel per testes, vel per iudicia, quis fuerit malefactor: vt eo sic inuenito, postea possit iudex contra eum specialiter inquirere. Nam etiam, vno tantum teste omni exceptione maiori comperto, vel tantum iudicis idoneis, poterit publicus officialis denunciare, vel accusare, vel querelam proponere contra malefactorem: & tunc incipiet iudex specialiter inquirere contra reum in generali inquisitione deprehensum, ita vt iterum repeti debeat dictus testis, & repeti debeant iudicia idonea sine infamia, quæ fuerint competita contrarium: nam accusatione, denuntiatione, vel querela præcedente, & crimine semiplene probato, per omnem testimonii exceptionem maiorem, vel existentibus idoneis iudicibus, vel infamia, iure contra reum proceditur, eum capiendo, si præsens sit, immò etiam torquendo, vt ad ea, de quibus interrogatus est, respondeat, veritatem detegendo, quod si absens fuerit, citando eum, vt in iudicio compareat, & ad quæ sita respondeat.

Quomodo possit iudex per Inquisitionem procedere.

CAPVT. XVII.

DE Iudice quæritur, quot, & quibus modis possit criminaliter procedere. In qua re cõmunis est sententia, eum posse procedere tribus modis, vt colligi videtur ex *cap. 2. qualiter, & quando, De Accusationibus* nimirum per Accusationem, Denuntiationem, & per Inquisitionem: aliqui addunt, quod etiam possit procedere aliquando per exceptionem, aliquando per evidentiam delicti, aliquando propter reum deprehensum in flagranti delicto, aliquando per postulationem, & querelam alicuius contra aliquem. Sed tenenda dicendum est, Iudicem criminaliter duobus modis posse procedere, quoniam, vel procedit ex officio suo, hoc est, nullo alio accusationem, denuntiationem, vel querelam criminis proponente: vel

procedit ad postulationem, vel instantiam alicuius alicuius, nimirum publici officialis, vel accusatoris, vel querelam proponentis, vel partis, quod sua interest, postulantis.

Quando primo modo procedit, dicitur procedere per Inquisitionem.

Quando secundo modo, dicitur procedere per accusationem, vel denuntiationem, vel querelam; de quibus modis sigillatim est differendum.

Dubium primum, Quotplex sit Inquisitio? Respondetur ex Abbate, communiter recepto in *cap. 2. Qualiter, & quando De Accusationibus*, esse duplicem, generalem, & specialem. Generalis est, quando iudex ex officio suo inquit generaliter: non contra certam aliquam personam, vt cum præses, siue prætor, vel quicumque alius iudex inquit, an sint facinorosi homines in provincia, ciuitate, vel loco, de qua inquisitione in *l. Congruit, ff. De Officio Præsulis, & cap. 1. De officio ordinarj*, Sicut etiam Episcopus generalis inquit, an sint eretici in diocesi. Similiter generalis est Inquisitio, quando notorium est crimen, sed occultus malefactor: & tamen generaliter inquitur, quis commisit: specialis Inquisitio est, cum iudex inquit specialiter contra certum malefactorem, & hæc fit ad puniendum malefactorem, ob publicam vilitatem: & fieri solet tribus modis. Primo, ex mero officio iudicis absque accusatione, querela, & denuntiatione alicuius. Secundo, fit ad querelam alicuius contra aliquem: tunc enim proposita querela iudex ex officio suo procedit ad testes, & informationes assumendas. Tertio, fit ad denuntiationem alicuius publici officialis, ad denuntianda delicta deputati, tunc enim iudex absque vlla alia infamia procedit ex officio suo ad testes, & informationes recipiendas.

Dubium secundum, de quibus delictis possit inquiri, ex iure communi: nam certum est iure communi accusationem esse remedium ordinarium, quo potest iudex procedere contra crimina, & malefactores: inquisitionem vero esse remedium extraordinarium, quoniam ex iure communi regulatiter iudex procedere per inquisitionem non potest: nisi in certis casibus iure ipso permittis, Quæritur ergo modo, quanam sint isti casus? Respondetur ex communi sententia, vt docet Siluester *Inquisitio. 1. questio. 2.* posse inquiri.

Primo, de quocunque maleficio per denuntiationem Officialis publici ad hoc deputati, delato. Solent enim vi statutorum deputari publici officiales, vt maleficia denuncient, ne ea committantur, aut ne impunita maneant.

Secundo, potest inquiri de quocunque delicto propter præcedentem incidens cogitationem, vt in falso teste, *C. de testibus l. Nullum.*

Tertio, de quocunque crimine propter præcedentem generalem Inquisitionem, vt scilicet comperto malefactore fiat specialis inquisitio, vt condemnari possit.

Quarto, quando docetur maleficio coram iudice committi, vt in charta facta coram iudice producta, *C. De probationibus l. Inuenimus.* Sic inquit iudex de crimine, quando accusator colludit, præuancatur, vel calomniatur, *l. fallaciter. C. de abolitionibus.* Sic etiam inquit contra custodem carceris, qui dimisit reum sine vinculis pretio corruptus, vt fugere possit, vel passus est introducti in carcerem ferrum, vel venenum. *l. carceri. ff. de custodia reor.*

Quinto, propter atrocitatem criminis, vt propter iniuriam clericis illatam, vel Ecclesis, vel rebus sacris: sic etiam propter crimen sacrilegij. *C. De Episcopis, & clericis, l. Si quis in hoc genus.* Sic etiam propter crimen læsæ maiestatis, hæresis, atrocitatis, assassinij: falsæ monetæ, proditiõis patris, coniurationis, vt conspirationis plurimum ad aliquod malum.

Sexto, propter evidentiam criminis, vt in *l. ea quidem C. De accusationibus.*

Septimo, inquit iudex ex officio suo contra tutorem

suspectum contra producentem scripturam suspectam, contra testes falsum deponentes in iudicio, vel suspectos vel vacillantes.

Quartò, inquit iudex de iuribus principis, & de pecunia fisco applicanda. Sic de iuribus Ecclesie, & contra possessorem beneficij, vt exhibeat titulum beneficij, vt ostendat, quo titula possideat, sic de pijs causis, sic de causis miserabilium personarum, sic de bonis naufragium patientium, sic de iniurijs factis scholari, sic tempore famis, & communis necessitatis, contra habentes copiam annonæ.

Notò, contra eos, qui frequentant tabernas, ludos lege prohibitos, arma deferentes, frequenter rixantes, meretricia verita transferentes, contra vagabundos, & otiosos deambulantes per plateas: hi sunt casus iure permisi, sed hodie ex vsu inquit iudex licet de quocunque crimine, & maleficio, quoniam inquisitio ex consuetudine facta, est remedium ordinatum procedendi in iudicio contra crimina, & malefactores, vt se p[ro]dixi, dummodo procedat fama, vel clamor contra malefactorem.

Dubium tertium, quot, & quæ præcedere ex iure communi necessario debeant inquisitionem, vt valida in iure sit. Respondetur, Quandocunque inquisitio est specialis contra certam personam, debet præcedere fama publica à viris honestis, & non maleuolis, & non semel, sed sæpius; vt colligitur ex capite secundo. Qualiter, & quando, & cap. inquisitionis eum oporteat, De accusationibus. Vnde hodie fit pius inquisitio, & examinatio, siue informatio secreta, & factis informationibus, si iudici constet, quod V. g. Titius est diffamatus super tali crimine, iudex præcipit, vt citetur ad comparandum personaliter, quo comparente, debent illi tradi capitula super ijs, de quibus fieri debet inquisitio, *Glof. e. x. de accusationibus in 6.* quod ius innoxium est ipso iure naturali. Alioquin enim si absque infamia præcedente inquireretur contra certam personam, eo ipso infameretur. Item, quia aliqui iudices ex odio, vel inuidia, ira, vel vindicta contra aliquem procederent, & infamerent aliqui innocentes, & vexarent eos.

Sed notandum est, aliquando etiam ex iure communi, posse inquiri specialiter contra aliquem, absque præiua infamia.

Primò, vbi inquitur ad impediendam electionem, ordinationem, vel confirmationem Prælati, vel cuiuscunque alterius ministri, aut officialis indigni, aut beneficij: sic inquit iudex ex officio de probitate vitæ, de idoneitate eligendi, instituendi, consuamandi, ordinandi, & promovendi ad ordines, dignitates, beneficia, vel officia. Sic etiam, quando inquitur ad impedimenta matrimonijs cognoscenda, ne illud videlicet contrahatur contra Canones, vel leges, sic etiam quando visitat Episcopus, per se vel alium Ecclesias, inquit de moribus, & vita, & officio clericorum.

Secundò, vbi inquisitio fit, præsentis patte, & non oppositæ, quod non præcessit infamia, e. 2. De Accusationibus in 6.

Tertio, vbi fit contra eum, qui crimen est confessus, *De confessis, e. 1. in 6.*

Quartò, quandocunque fit inquisitio ad denunciationem publici officialis, e. 1. De officio ordinarij, Silvester Inquisitio, 1. questio. 4.

Notandum est secundò, non esse opus, vt procedat infamia, quando inquisitio est generalis, quia in ea non procedunt contra certam personam, vt supra dixi, capite primo. Item, vt inquisitio sit in iure valida, requiritur, vt iudex inquirens sit competens, cap. *En, qua de sententia, & re iudicata in 6.*

Item, vt prius iudici constet crimen esse commissum, & debet in actis iudicis apparere, quod ei priusquam inquireret, constitit de crimine commissio, & de infamia inquisiti.

Item, vt is contra quem inquitur, sit in iurisdictione iudicis; inquirentis, quantum ad eum articulum, de quo

inquitur, cap. *Si diligenti, de foro com. p. t.* Item, vt ipse inquisitio habeat formatam in iure requisitam, cap. *Qualiter, & cap. Inquisitionis, & cap. Cum oporteat.* Forma autem inquisitionis in iure requisita exigit quinque.

Primò, vt nominetur modus procedendi.

Secundò, persona inquirens cum officio significante iurisdictionem ad inquirendum.

Tertio, persona contra quam inquitur.

Quartò, delictum, de quo inquitur.

Quintò, locus, & tempus, quibus patratum est delictum. Vnde forma inquisitionis sic habet: Hæc est inquisitio, quæ fit per Caium prætorem, vel præsidem provincie contra Titium, qui iniquè interfecit Seium in tali loco, & tali mense, die, & anno. In qua forma habentur illa quinque, quæ diximus.

Quædam alia dubia, circa Inquisitionem Iudicis diluuntur.

CAP. XVIII.

DUBIUM primum est, An satis sit vt indicia præcedant ad hoc, vt possit iudex per Inquisitionem procedere contra Titium, etiam si nulla infamia Titij præcedat? Nauarrus in *Manu. cap. 18. num. 38.* ait non sufficere & reprehendit Sotum, & Caietanum oppositum docentes. Et probat, ex cap. 2. Qualiter, & cap. 2. Qualiter, 18. nu. 38. ait non sufficere, & reprehendit Sotum, & Caietanum oppositum docentes. Et probat ex cap. 2. Qualiter, & quando, & cap. in inquisitionibus, de Accusationibus, vbi appetit dicitur contra nul um posse inquiri, nisi præcedente diffamatione illius. Ergo indicia, nisi infamiam inducant, non sufficiunt: cum Navarro sentit Cordubensis in *Summa, qua. 6. 4.* At verò Caietanus, 2. 2. *questio. 69. artic. 2.* & Sotus, lib. *De ratione regendi, & de regendi secretum, membr. 2. questione sexta, & lib. 3. De iustitia, questione 6. artic. 2.* docent indicia sufficere, ad inquirendum contra aliquem, & reuera ita etiam sentit Bartolus in *l. Congruu. ff. De officio Praefidis, & Baldus in l. Iubemus, C. De probationibus.* Immo hanc esse opinionem communem, ait Iulius Clarus, lib. 3. *Receptorum sententiarum, in Practica Criminali, qua. 20.*

Dicendum est, in hac re, indicia sufficere, ad hoc, vt iudex inquirat contra aliquem, assumendo informationes contra illum, & formando libellum: non tamen qualiacunque indicia sufficiunt ad examinandum, interrogandum, torquendum, & puniendum malefactorem sed possunt indicia sufficere ad capiendum reum, ne fugiat, & interim ad informationes contra illum assumendas. Item possunt sufficere ad citandum reum absentem. Indicia ergo differunt à diffamatione, quod hæc sufficiens est ad examinandum, interrogandum, torquendum, & condemnandum reum: at verò indicia, nisi grauissima, & videntissima sint, de quibus infra dicemus, non sufficiunt ad supradicta; qualiacunque tamen sint, quæ suspicionem probabilem generant contra reum, satis sunt ad inquirendum in eum, nimirum ad informationes assumendas, testes recipiendos, libellum formandum, eumque capiendum, ne asfugiat.

Dubium secundum, An si sint duo, tres, pluresve testes iurati, quod Titius crimen commiserit, ipsis videntibus, possit iudex inquirere contra; Titium nulla alia infamia præcedente? Caietanus 2. 2. *questio. 69. artic. 2.* ait non posse, & probat ex capite Inquisitionis, de Accusationibus, vbi id apertè dici videtur: at Iulius Clarus, *libro citato, questio. 21. num. 2. & seqq.* ait vnum testem, etiam aliqui inhabilem, & minus idoneum sufficere ad inquirendum contra aliquem.

Dicendum est, vel ex iure canonico non sufficere, vt in cap. in-

cap. Inquisitionis insinuari videtur; quamvis in iure civili, id non repugnet: vel quod ex iure communi, id non sufficiat, licet ex consuetudine sit contrarium inductum, vel quod duo, pluresve testes non sufficiant ad inquirendum, hoc est, ad examinandum, interrogandum, torquendum, & condemnandum eum; licet sufficiant ad inquirendum, id est, ad capiendum eum, & informationes contra eum assumendas, & libellum formandum. Et in *cap. Inquisitionis*, solum videtur dici, quando proceditur per inquisitionem, non sufficere testes, nisi diffamatio præcesserit ad puniendum eum: & hoc verum est. Sed est notandum, facile hanc item dirimi: nam quando duo pluresve testes iurati sunt contra Titium, iudex suo officio fructus potest facere, vt unus eorum, quædam proponat contra Titium, & alij tanquam testes deponant contra eum: Vel potest facere, vt publicus officialis ad denuntianda crimina deputatus, denuntiet contra Titium, & tunc iudex ad denuntiationem eius vocabit, vt deponant contra Titium.

Dubium tertium, An iudex possit inquirere contra socios criminis, hoc est, An reum confessum suum criminem, possit interrogare de sociis? Respondetur ex communi sententia, regulariter ex iure communi non posse. *l. finali. C. De accusatione, c. Cum Monasterium, de confessis. c. Venient, de testibus, c. nemini. 15. quest. 3.* at vero posse in certis casibus, hos autem omnes casus enumerat Glossa, *l. fin. C. De accusat.*

Primus est in latronibus, qui in viis publicis insidiantur, *l. Prouinciarum. C. De ferijs*, item in proditoribus. *l. fina. C. ad legem Iuliam maiestatis.*

Secundus est in falsâ moneta. *l. prima. C. De falsa moneta.*

Tertius in custode carceris corrupto. *ff. De custodia reorum. l. Diuus Adrianus.*

Quartus, habetur in *l. fin. ff. Ad exhibendum*, nempe in delictis seruorum.

Quintus, in *l. fin. C. De maleficijs*, in maleficio. Addunt alij crimen læsæ maiestatis, vel hæresis, *uxta c. in fidei fauorem, de hæres. in 6.* adiciunt alij quodeunque crimen, quod est directo, per se contra communitatem, vel quando crimen in futurum imminet, & pendet contra aliquem innocentem, vt est crimen in assassinis, strigibus, falsinatoribus. Bartolus in *l. Repet. ff. De questionibus, §. 1.* distinguit: Aut agit inquit, de delictis, que non committuntur in offensam, vel odium alicuius, sed in commodum ipsius delinquentis, vt falsare monetam, furari; & tunc potest reus de socijs interrogari: aut agitur de delictis, que principaliter sunt in odium, vel offensam alterius, vt homicidium, adulterium: & tunc non potest reus contra se confessus de socijs interrogari. Hanc Bartoli sententiam dicit esse communem Iul. Clarus *lib. citato. quest. 27. num. 4.* Salicetus vero in *l. fin. C. De accusatoribus* distinguit aliter: Aut sunt crimina, que regulariter committi non solent sine socijs, & tunc potest inquiri reus de socijs: aut sunt crimina, que committi regulariter solent sine socijs, & tunc non potest interrogari de socijs.

Alij vero, quos citat Iul. Clarus, loco citato, aiunt, licet ex iure communi non possit reus interrogari de socijs, consuetudine tamen est inductum, vt possit interrogari in omni crimine, Sotus, *lib. 3. de iust. quest. 5. artic. 2.* ait tunc posse eum interrogari de socijs, quando ipse reus tenetur alioquin accusare, nimirum, ad obuiandum futura mala in damnum reipublicæ, vel perniciem tertie personæ, non autem ad puniendum præteritum; hæc ille, lege Nauarum in *Manuali c. 18. num. 18. c. sequentibus*. Verum quidquid sit de iure, omnes conveniunt in hoc, esse vnum casum, in quo semper reus interrogatur, & torquetur super mandante, quando scilicet constat reum commisisse crimen ex mandato alterius, nimirum, quia est seruus, simul, vel subditus, & quando apparet, quod ille delictum commisit, non sua causa, quia nihil ad eum pertinebat, sed ad alterius instantiam. Item, quando crimen est tale, vt non nisi eum

alio consorte committatur sodomia, adulterium, tunc iure confessus, vel conuictus reus interrogatur de consorti. Item conveniunt omnes posse eum interrogari de socijs in criminibus, que directo per se sunt contra Communitatem, vel Principem, vt in crimine læsæ maiestatis, hæresis, in prodicione patriæ, vel Principis, latronibus, assassinis, coniuratis contra patriam, fraudatoribus salis, olei, vini, vel frumenti, vel monetæ, & alijs huiusmodi, & in alijs, que supra ex Glossa numeravimus, que solent dici crimina accepta, imò ex consuetudine in alijs, que sine socijs perpetrari non solent.

Dubium quartum, An iudex per inquisitionem procedens, possit reum delictum confessum, vel conuictum de eo, interrogare de alijs criminibus, de quibus contra eum non sunt iudicia aut infamia? Caietanus, *2. 2. quest. 69. artic. 2.* ait non posse: & probat ex *cap. Inquisitionis, De Accusat.* sic etiam Sotus *lib. 3. de iust. quest. 6. artic. 2.* Valdaus, vt cum citat Siluester *Inquisitio, qua. 3. vers. 4.* ait posse, quia eo ipso, quod reus confessus est crimini, vel conuictus est de eo, videtur infamatus. Sed certè hæc ratio, vt aiunt rectè Caietanus & Sotus, nihil conuincit, quia non sequitur, vt sit infamatus de alijs criminibus alterius generis. Iul. Clarus *libro citato. quest. 64. num. 30.* ait ex iure communi non posse. *l. ff. De Questionibus*, sed ex consuetudine contrarium seruari, nimirum, vt interrogetur reus confessus de alijs delictis similibus, præsertim cum talia sunt, vt frequenter committi soleant, vt sunt furtum, blasphemia, peritium. Imò ait, alicubi esse consuetudine receptam, vt interrogetur etiam de delictis non similibus. Sed hoc vltimo puro esse verum in assassinis, latronibus, & ijs, qui sunt publice proscripti. Certum est posse interrogari reum de criminibus, que connexionem habent cum delicto, quod confessus est, vel de quo est conuictus, quia eo ipso sunt iudicia sufficientia, & infamia contra ea crimina connexa, vt conuictus reus de adulterio, si adulteræ maritus esset in lecto suo necatus, interrogari iure posset, an eum occidisset: item conuictus de homicidio quis, si eadaver nudum, & spoliatum esset, interrogari posset, an ipse spoliasset eum hominem.

Dubium quintum, An dictum socij criminis sit sufficiens indicium ad inquirendum contra socium? Decius in *Consilio 180.* ait non esse: & probat, quia socius criminis non est fide dignus. Sed Iul. Clarus *libro citato. questione vigesima prima. num. 3. c. seqq.* ait sufficere ad inquirendum, hoc est ad assumendas informationes contra socium nominatum, & hoc siue talis socium suum nominauerit ad interrogationem iudicis ipsum in genere interrogantis, an in malicio committendo aliquis alius interuenit, siue etiam illum sponte sua nominauerit, dum contra se examinaretur, puta postquam confessus est Caius se Titium occidisse, iudex iubet illum narrare, quomodo occiderit: & ipse responderet, quod tali die ipse, & Seius Titium occiderint, tali modo, tunc inquit, potest iudex inquirere contra Seium, non quidem ad examinandum, interrogandum, torquendum, vel condemnandum Seium, vt etiam ex Bartol. & Bal. docet Siluester *inducium. qua. 3. c. Angel. confessio delicti. num. 3.* sed ad informationes contra eum assumendas. Nam ad sic inquirendum contra reum faus est qualecunque indicium, vt rectè ait Iul. Clarus: sed dictum socij criminis qualecunque, est indicium contra socium, ergo sufficit, &c.

Dubium sextum, Quid sit inquirere contra aliquem? Respondetur, licet multi putent, inquirere contra reum esse, quando iudex transmittit ad eum inquisitionem, ita vt huiusmodi transmissio secundum eos sit.

Primus actus, quo iudex per inquisitionem procedit contra reum, Sed docet rectè Iul. Clarus loco citato, *quest. 3. nu. 2.* primum actum, quo iudex per inquisitionem procedit, esse recipere testes seu informationes, contra reum; charta vero inquisitionis, siue libellus criminalis, qui contra reum formatur, atque ei intimatur, ad statuto die comparandum in iudicio, est actus communis utriusque modo

modo procedendi, & ideo indifferenter transmittitur ad reum absentem, tam quāto procedatur per accusationem, siue querelam patris, quam eum procedatur per inquisitionem ex officio iudicis. Transmittere verò chartam inquisitionis, siue libellum criminalem, ad reum, potius est, ipsam citare ad comparandum in iudicio: id quod etiam facit iudex cum per accusationem procedit.

Dubium septimum. An modus procedendi per inquisitionem sit remedium iudicis extraordinarium, an verò ordinarium? Respondet Iulius Clarus loco citato, *quæst. 3. nu. 3.* ex Innoc. communiter recepto in cap. *Cum oporteat De Accusationibus*, secundum ius commune civile, modus procedendi per accusationem est remedium ordinarium: modus verò procedendi per inquisitionem, est extraordinarium. Unde ex iure civili communis iudex non potest regulariter inquirere nisi in certis casibus, ut ait *Glossa in l. ex lege Julia. §. Si publico. ff. Ad legem Iuliam de adulteriis, & stupris*: & quamvis multi opinentur, ut ait *ibidem Iul. Clarus*, secundum ius canonicum esse remedium ordinarium, quia secundum eos ex iure canonico in omnibus criminibus indifferenter iudex potest ex officio inquirere ad publicam utilitatem: nihilominus tamen magis est recepta sententia, inquisitionem tam ex iure canonico, quam ex civili, esse remedium extraordinarium: at verò ex consuetudine introductum est, ut inquisitio sit etiam remedium ordinarium, sicut accusatio, quia ex consuetudine factum est, ut in quocunque crimine permissum sit iudici procedere ex officio per inquisitionem, & hanc esse communem sententiam docet *Iul. Clarus loco citato, quæst. 3. nu. 4.*

Dubium octavum, An inquisitio cesset, superueniente accusatore? quod est querere, an si pars velit accusare, vel querelam proponere contra reum, & iudex ceperit contra eum inquirere, præsertim debeat pars volens accusare iudici per inquisitionem procedenti? Respondet *Iul. Clarus loco proxime citato*, ex *Saliceto* communiter recepto in *l. ea quidem. C. de accusationibus*, quod vel accusator superuenit ante receptas probationes aut post.

Primo casu, aut potest imputari negligentia accusatori, & tunc non cessat inquisitio, sed accusator repellitur: aut non potest imputari: & tunc si persequitur suam, vel suorum iniuriam, auditur, & cessat inquisitio; nisi esset suspensus de collusionem: si verò neque suam, neque suorum iniuriam persequatur, tunc non auditur.

Secundo autem casu, quando scilicet accusator superuenit post receptas probationes, tunc aut delictum est probatum, & repellitur accusator: aut non est probatum, & tunc admittitur.

Hæc communis opinio cum *Saliceto*. Sed ut recte ait *Iul. Clarus*, quidquid sit de iure communi, ex consuetudine est receptum, ut accusatio non faciat cessare inquisitionem, sed uterque modus procedendi simul concurrere potest siue in principio, siue in medio, siue in fine totius iudicij criminalis; & ideo etiam si iudex procedat ex officio per inquisitionem in aliquo crimine, quandoconque superuenit, qui accuset, vel querelam proponat, semper admittitur: & è contrario si ab initio quis accuset, vel querelam proponat, non propterea cessat iudex ex officio accipere informationes, & examinare testes etiam non productos nec subministratos ab accusatore. Et ratio huius est: quia consuetudine est introductum, ut modus procedendi per inquisitionem, sit remedium tam ordinarium, quam est remedium accusationis. Item ex consuetudine in quocunque crimine regulariter, & ordinariè fiscus efficitur accusator: nam ex consuetudine, ob publicam utilitatem fiscus deputat advocatos, syndicos, fiscales, qui assumunt partes accusatoris, ita ut possint quodcumque crimen sibi notum, per denuntiationem ad iudicem deferre, etiam si nullus sit accusator: & per eorum denuntiationem iudex ex officio inquit contra nominatos ab ipsis: immò, ut ait *Iul. Clarus*, in Regno Neapolitano nullus ex more

admittitur ad accusandum, nisi quando suam, vel suorum iniuriam persequitur. Et in Francia, ait, per leges regias esse prohibitam accusationem, etiam si quis velit suam, aut suorum iniuriam persequi, quantum scilicet ad vindictam publicam; sed permittitur dumtaxat accusatio, quando quis persequitur id, quod sua interest civiliter, & sic in omnibus criminibus proceditur solum per inquisitionem.

De modo procedendi per accusationem, & de ipsa accusatione, & accusatore.

CAP. XIX.

DVIVIM, quid sit accusatio? Respondetur ex communi sententia omnium, esse delationem criminis in libello accusatorio ad publicam vindictam, legitima interveniente subscriptione, sic omnes communiter definiunt, teste *Iulio Claro, loco citato, quæstion. 12. nu. 1.*

Libellus autem accusatorius est brevis scriptura intentionem accusatoris, vel actoris contra reum clare deprebens, quia est charta quedam continens petitionem, causam, & actionem accusatoris. Quod si obiciatur, Aliquando accusator solum intendit persequi id, quod sua interest, iudex per accusationem procedit, ut parti offensæ restituatur damnum, & competens satisfactio ob iniuriam illam ipsi, ergo non semper accusatio est ob publicam vindictam criminis; Respondetur: in prædicta definitione communiter recepta, accusatio accipitur proprie, & strictè, prout accusator distinguitur ab actore: nam actor proprie dicitur, qui in iudicio persequitur suum ius ob privatum suum bonum, nimirum, ut ei satisfactio fiat de damno, vel iniuria ei privatum illata: accusator verò dicitur, qui in iudicium crimen deferit ob publicam punitionem, & vindictam criminis non directo ob bonum suum privatum.

Si secundo obiciatur, etiam in denuntiationem, quæ, ut infra dicemus, distinguitur ab accusatione, intenditur aliquando publica vindicta criminis: nam interdum denuntiatio fit, ut prælati, vel publici officialis ab officio, vel dignitate remoueat ob indignitatem, vel delictum ipsius; Respondetur, distingui accusationem à denuntiatione, quod illa semper est ob publicam vindictam criminis; hæc verò non semper, sed aliquando. Quod si dicas, per quam igitur particulam definitionis distinguitur denuntiatio ab accusatione? Respondetur per illam (in libello accusatorio); & per illam (legitima interveniente subscriptione); nam accusator ex iure communi tenetur iudici offerre libellum accusatorium contra reum, in quo se subscribit; at denuntiator ad id non tenetur ex iure communi, ut infra patebit.

Si tertio obiciatur, etiam, quando proceditur per querelam ab aliquo propositam, intenditur publica vindicta criminis, & tamen querela distinguitur ab accusatione; Respondetur, ex consuetudine querelam succellisse accusationi: nam accusatio, prout habet iuris communis solennitates, desit esse in vfu, & loco illius introducta est querela verbalis. Nihilominus tamen querela distinguitur ab accusatione, quod hæc semper est ob publicam vindictam criminis, illa non semper, sed aliquando ob privatum bonum partis offensæ. Item accusatio fit in libello accusatorio oblato, & subscriptione accusatoris: sed querela fit tantum nudis verbis, & iudex postea ex officio suo procedit ad accipiendos testes, & informationes contra reum.

Accusatio, per definitionem prædictam, rectè distinguitur ab aliis modis, quibus iudex solet procedere: dicitur (delatio criminis) in quo convenit cum denuntiatione, & querela: sed differt ab inquisitione, quia per inquisitionem procedit iudex abique vlla delatione criminis sibi facta,

sed sola procedente infamia, vel clamore contra reum, vel procedente euidencia criminis, à malefactori patra. Dicitur ad publicam vindictam, in quo, vt diximus, distinguitur accusator ab actore. Dicitur, in libello accusatorio, vel criminali, interueniente subscriptione legitima: in quo, vt diximus, distinguitur accusatio à querela, & denuntiatione.

Dubium primum, an accusatio sit remedium ordinatum? De hoc diximus cap. precedenti, nimirum ex iure communi accusationem esse remedium ordinatum: & ita iudicem regulariter ex iure procedere præexistente accusatore, & inquisitionem ex iure communi esse remedium extraordinarium: nihilominus tamen, vt supra diximus, ex consuetudine inquisitio facta est remedium ordinatum. Vnde ex iure per inquisitionem iudex non procedit nisi in certis casibus in iure ipso permisis: at verò hodie ex consuetudine iudex siue Ecclesiasticus, siue secularis per inquisitionem procedit, ex officio suo in quocunque maleficio, seu crimine, nisi quando quis persequitur in iudicio suum, vel suorum iniuriam.

Dubium secundum, Quænam sit solemnitas legitime accusationis? hoc est, solemnitas, ex legibus requisita? quod est primum querere, an accusatio secundum leges fieri debeat in scriptis, hoc est, in libello dictato iudici in scriptis? Salicetus in l. penultima, c. De accusationibus sensu non esse requisitam eam solemnitatem, sed satis esse, vt iudici offeratur verba querela, ita tamen, vt tabellio eam in scriptis redigat iuxta l. Libellorum. ff. De accusationibus. sed B. r. o. l. u. s. vt referit Iul. Clarus. libro super citato question. 12. num. 6. communiter receptus, seahit secundum leges eiuusmodi solemnitatem esse requisitam. Sed quidquid de iure, opinio Saliceti ex consuetudine est recepta, & ita propter consuetudinem sufficit verba querela per notarium in scriptis redacta.

Secunda difficultas est, An ad solemnitatem legitimam accusationis requiratur, vt accusator se subscribat in libello criminali? Respondetur, teste Iulio Claro, questio citata num. 16. ex iure communi cuius requiritur, atque hæc est opinio communis: qua subscriptione accusator suscipit se peenam talionis, si delictum aut pleam, aut saltem se implere non probare: quod quidem merito leges introduxerunt ad reprimendam temeritatem accusationum. Hæc igitur subscriptione accusator se obligat ad peenam si in iure subeundam, & promittit se perfectum accusationem viginti finem, & producturum testes ad probationem delicti: hodie tamen ex consuetudine humiliter di subscipio non requiritur, quia peena talionis desit esse in vi; & quia fides vice fingitur accusatoris: deputat enim aduocatos quosdam, vel iudicos fiscales, qui crimina denuntiant, & ad eorum denuntiationem iudices per inquisitionem ex suo officio procedunt ad testes, & in formationes accipiendas contra malefactores. Item ex consuetudine loco accusationis succedit verba querela, per notarium, vt diximus, in scriptis redacta, ex qua etiam per inquisitionem iudices procedunt ad recipiendas informationes contra reos.

Tertia difficultas est, an in libello accusatorio debeat reuocari expressio dies, & annus, quo iudex ponitur accusator, similiter, an debeat necessario expressi nomen accusationis, & accusati, & species delicti? Respondetur, ex iure communi debere exprimi, vt statuitur in l. Libellorum. ff. De accusationibus, hodie tamen ex consuetudine, non putantur ista esse omnino necessaria in denuntiatione, vel querela, quæ succedit ex consuetudine loco accusationis. Nam vt ait Iul. Clarus. loco citato, questio. 11. num. 8. si notarius non fecerit apparere in actis, quo die fuerit posita querela, possit quidem tanquam imperitus, vel suspensus officio priuari, non tamen potest querela vitari tanquam nulla.

Quarta difficultas, An in libello accusatorio debeat necessario exprimi locus, & tempus, quo crimen est commissum? Respondetur ex iure communi debere exprimi, vt

patet in l. Libellorum. ff. De accusationibus, & idem etiam seruatur in denuntiatione, vel querela, quæ loco accusationis succedit; alioquin nisi exprimeretur locus, & tempus patra criminis, incerta redderetur accusatio, denuntiatio, vel querela, nec testes contra reum deponentes possent commode fallitatis conuinci.

Dubium tertium, An omnem accusationem debeat precedere necessario secreto monitio, seu fraterna correctio delinquentis. Dux sunt opiniones.

Prima asserit semper ex precepto precedere debere correctionem fratrem iuxta illud Christi Domini Matth. 18. (Si peccauerit in te frater tuus, corripue eum inter te, & ipsum solum.) Item, quia accusatio fieri debet cum minimo, quo ad fieri poterit, detrimere famæ, vel honoris proximi: at si proximus secreto monitus, vult emendari, in iura se recuset, si accusaretur: sic Quandus in Distin. 19. question. 4. ad 1. Huic sententiæ videntur ex parte accedere, Siluester in verb. Accusatio quest. 3. Caietanus, 2. 2. qu. 33. arti. 7. Sotus lib. 3. De iusticia quest. 3. arti. 1. Nam Siluester docet precedere debere correptionem fratrem, nisi ob moram imminet periculum communitati, vel alicui alteri priuato innocenti. Caietanus verò distinguit, quando accusatio est licita, non tamen in precepto: tunc, inquit, debet precedere accusationem fratrem correptioni; vsuque cum quis persequitur in iudicio suam, vel suorum iniuriam solum, ob id, quod sua interest. Quando verò accusatio est in precepto; tunc non debet precedere correptioni fratrem, veluti, cum quis recusat reum de crimine, quod probabiliter creditur committendum contra bonum Reipub. vel Principis, vel alicuius tertij innocenti. Sotus verò contra Caietanum asserit in casu, quo est licita accusatio, & non est de precepto, non esse opus, vt precedat secret. correptioni: item quando est in precepto, distinguit: Aut crimen est, inquit, perpetrandum contra bonum publicum, nimirum Reipub. vel Principis; & tunc non debet precedere correptioni fratrem, nisi certo, & si tunc credimus nosstra correptione priuata sufficienter emendandum esse proximi: aut crimen est committendum contra priuatum bonum alicuius tertij innocenti, & tunc debet precedere accusationem fratrem correptioni, nisi certo crederetur futurum damnus tertij innocenti.

Opinio secunda asserit, in vniuersum non esse opus, vt accusationem precedat fratrem correptioni, sic Glossa 2. qu. 8. artic. 2. licet Heli de Symonia. Angeus, in verbo Accusatio. num. 1. Taberna colum verbo num. 3. Paludanus in 4. Distinctio 19. quest. 4. ad 1. Nauartus cap. Inter verba, con. l. 6. num. 171. Huic sententiæ videtur accedere idem Sotus in lib. De ratione regendi secretum, memb. 2. quest. 5. artic. 4. Has duas opiniones citat, Sa. Thomas in 4. Distinctio 19. quest. 2. arti. 3. & 4. Et licet Siluester dicat S. Thomam eo loco sequi primam opinionem, reuera tamen potius videtur sequi secundam. In hoc igitur dubio mihi videtur, secunda opinio multo verior, quia non solum videtur colligi ex iure canonico, sed etiam ex iure naturali: ex iure quidem canonico, quia in cap. 2. Qualiter & quando, de accusationibus, aperte dicitur: (Sicut denuntiationem debet precedere fratrem correptioni, sic accusationem legitima inferri.) Ergo Papa in eo cap. aperte docet distingui accusationem à denuntiatione in hoc, quod denuntiatio fieri debeat priuata fratrem correptione, non tamen accusatio. Item ratione naturali patet, quia accusatio non est ad preuentivam, & emendationem criminis, sed solum est ad punitionem publicam delicti, at verò denuntiatio directio, & priuatio est ad preuentivam, & emendationem fratris: ergo accusatio ex vi, & natura sua non requirit priuam fratrem correptionem, vt denuntiatio potest.

Quod si dicas, Aliquando accusator persequitur suam vel suorum iniuriam, & solum interuenit, quod sua interest: Respondetur, etiam in istum non obligari ad fratrem prius secreto corripiendum. Item accusatio non solum est de criminibus, quæ pendunt in futurum, atque quibus fratrem

frater non est emendatus, sed esse est de præteritis delictis, & in quibus frater est iam sufficienter emendatus, quia accusatio non fit ob emendationem fratris, sed ob publicam punitionem, & publicum exemplum, ut ceteri deterreantur à maleficiis, & pax sit in republica. Et ex his patet solutio à largumentis primæ opinionis. Nam Christus Dominus *Matth. 18.* ordinem correptionis fratrem non posuit in accusatione fieri debita, vel solita de criminibus, sed in ea denuntiatione, qua crimen deferretur ad iudicem ob penitentiam, & emendationem privatam fratris, ut dicam inferius. Item huiusmodi denuntiatio cum instituta sit ob privatam fratris emendationem, fieri debet cum minimo detrimento famæ, vel honoris proximi, quod fieri possit: hinc fit, ut quandoque frater per secretam admonitionem sufficienter emendandus creditur, non debeat denuntiar: at vero accusatio non fit ad emendationem fratris, sed ob publicam punitionem malefactorum, & commune bonum præferri debet privato: & idè in accusatione non est habenda ratio famæ, vel honoris privati, sed communis boni, nimirum, ut crimina puniantur, ne sint malefactores, & ne pax Reipubl. perturbetur.

Dubium quartum, An quis ex præcepto aliquando teneatur accusare? Sunt duæ opiniones. Prima asserit, nunquam teneri ex præcepto. Sic Angelus *in verb. Accusatio, num. 2.* & Glossa *2. quæst. 6. cap. Quapropter.* Et probat Angelus *ex l. 1. C. ut nemo inuitis agere, vel accusari cogatur.* Item quia satis est, ut quis etiam ad iudicem deferat, vel per denuntiationem, vel per simplicem verbalem querelam absque hoc quod accuset: ex quo colligit Angelus falsum esse, quod docet S. Thomas aliquè ex præcepto teneri aliquando accusare. Secunda sententia asserit, aliquando accusationem fieri debere ex obligatione præcepti. S. Thom. *2. 2. quæstio. 68. artic. 1.* & ibi Caleranus, Socus *lib. 5. de iustitia, quæstio 5. artic. 1.* Siluester, Rosella, Tabiena, Atmilla *in verbo Accusatio,* probant, quia aliquando contingit, ut damnum intentatum contra Reipublicam in Principem, vel in perniciem alicuius innocentis aliter evitari non possit, nisi accusemus malefactores. Item aliquando contingit, ut sint plures conitratu ad malum aliquod faciendum, quod nisi quis accuset, impediti commode non possunt. Item aliquando accidit, ut unus, vel plures secreto seminant hæretes, perturbando multos.

In hoc dubio, Primò dicendum est, si sermo sit de hodiernis temporibus, & de accusatione proprie, & strictè sumpta, & solennitatem in iure civili præceptam, nemo hodie accusare tenetur, quia, ut supra diximus, accusatio hoc modo sumpta, desinit esse in usu, & loco eius successit denuntiatio iudicialis, & simplex verbalis querela. Vnde satis est nostris temporibus, ut quis deferat crimen ad iudicem, vel per denuntiationem, vel per querelam. Et hoc sensu vera est opinio Angeli. Sed S. Thom. communiter, per secundam opinionem receptus non est locutus de accusatione, hoc modo sumpta, sed de ea, prout sumitur in iure civili, & de his temporibus, in quibus accusatio erat in usu, & tunc vera est opinio secunda, ut rectè probant eius argumenta supra posita. Nam multa sunt crimina, quæ directò tendunt in perniciem Reipublicæ vel Principis, vel alicuius alterius innocentis, quæ aliquando impediti commode non possunt, nisi quis accuset ea: nam ex lege charitatis evitate tenemur, vel impedire, si commode possumus, commune damnum, vel proximi innocentis.

Dubium quintum, An aliquando possit iudex sine accusatore procedere? Respondetur, ex iure communi civili non posse procedere sine accusatore. *l. Rescripto, ff. De numeribus, & honoribus:* ad quod ius civile al. udebat. Festus præles. *Actorum. 25.* Non est consuetudo Romanis damnare al quem hominè, priusquam is qui accusatur, præfentes habeat accusatores, & Christus Dominus, *Jo. 8.* dixit ad heretice: Nemo te condemnavit mulier? nec ego te condemno.

Si verò queras, an sit ex iure naturali, ut iudex absque

accusatore non procedat, aut condemnet eum? Respondetur, esse quidem iuri naturali consonum, quia aliqui iudices odio, ira, vindicta possent vexare innocentes; non tamen esse ita ex iure naturali, ut aliquando non possit iudex procedere sine accusatore. Vnde ius etiam civile, quod præfentit, ut iudex absque accusatore non procedat, aliquos etiam casus excipit, in quibus concedit, ut iudex possit sine accusatore procedere; hoc est, concedit, ut iudex ex officio suo, nemine accusante, procedat per inquisitionem contra aliquem.

Si roges, qui sint isti casus? Respondetur, Glossam, *in l. Iulia, ff. Ad legem Iuliam, de adulteriis* enumerare aliquos.

Primò, in crimine susceptionis tutoris. *l. Tutor quoque, §. Præterea, ff. de Susceptio tutoris.*

Secundò, in charta falsa in iudicio producta, *ex lege penultima. C. De probationibus.*

Tertio, in testibus falsis. *Ex l. Nullum. C. De testibus.*

Quarto, in calumniatore, *ex l. C. De Calumniatoribus.*

Ex l. Qui cum maior. §. Si libertus, ff. De bonis libertorum.

Quinto, in crimine notorio, *ex l. Ea quidem. C. De accusationibus.*

Sextò, in iniuriis contra clericos, vel Ecclesias, *l. Si quis in hoc, C. De Episcopis & Clericis.* Hæc Glossa. Sed dicendum est, esse multos alios casus, nimirum, eos omnes, quos numeravimus supra capite decimo septimo; Vbi diximus, iuris concessionem posse iudicem ex officio, per inquisitionem procedere. Vbi etiam diximus nostris temporibus ex consuetudine iudicis in omni crimine procedere ex officio suo per inquisitionem, & hoc est, quod supra diximus, & olim ex iure civili accusationem esse remedium ordinatum ad procedendum contra crimina, & malefactores: & inquisitionem esse medium extraordinarium, quia non nisi in certis casibus iure concessis per inquisitionem iudex procedere poterat. Sed hodie ex consuetudine inquisitio facta est remedium ordinatum, quia in omni crimine potest iudex ex officio suo per inquisitionem procedere sine accusatore, dummodò tamen contra eum procedat infamia, vel clamor.

Dubium sextum, Quisnam possit accusare? Respondetur, notandum esse, Primò, hodie, quia ex consuetudine iudicis ex officio suo per inquisitionem procedunt, aut per verbalem simplicem querelam, aut per denuntiationem factam ab aliquo aduocato, procuratore seu syndico fiscali, nunquam tenent querelam ab alio potestatem, etiam si exhibita ab eo, qui de communi iure accusare non potest. Vnde ad præxim hodiernam partem, aut nihil prodest nosse eos, qui de iure communi possunt accusare, quia à quocunque querela porrigatur, iudices eam admittunt ex consuetudine, quia ex more, ex officio suo possunt per inquisitionem procedere in quocunque crimine, etiam si nemo querelam porrigat, ergo consequenter possunt procedere ad querelam ab alio quocunque potestatem.

Secundò est notandum, si alicubi ius commune sit in usu, ibi oportet nosse, quinam possint de iure commune accusare? Et in primis sciendum est, quemlibet posse accusare, qui non sit à iure prohibitus. Generaliter autem omnibus illis permissam est accusare, qui ex parte in iure prohibiti non reperiuntur. *l. Qui accusare, ff. de Accusationibus.* Sunt autem aliquæ causæ, propter quas multæ personæ ab accusando repelluntur, quæ numerantur in *l. Qui accusare, §. l. Alij, & l. Nonnulli, ff. de Accusationibus.* Nempe, aut propter dignitatem, ut clericus, & miles; Aut propter statum personæ, ut filius familias, & servus; Aut propter defectum ætatis, ut pupillus, & minor; Aut propter inbecillitatem sexus, ut mulier; Aut propter indignitatem personæ, ut criminiosus, infamis, damnatus, excommunicatus; Aut propter turpem quæsitum, ut qui nummos accipit ob accusandum, vel non accusandum; Aut propter defectum fidei, quia scilicet lex de eo plene non confidit, ut inimicus, qui gerit inimicitiam capitalem, & pauper. Aliquando etiam repellitur quis ab accusando propter reu-

uententiam ad quam obligatur versus eum, quem accusare intendit; ut puta, si seruus, aut libertus, aut vaſallus velit accusare dominos suos, vel si laicus velit accusare clericum. Repellitur etiam quandoque propter amorem, ad quem obligatur, ut puta maritus versus uxorem, aut frater versus fratrem.

Tertio notandum est, Omnes illi, qui regulariter, & iure prohibiti sunt accusare, admittuntur nihilominus indistinctè ad accusandum etiam ex iure communi, si suam, vel suorum iniuriam persequantur. *l. Hi autem omnes, ff. De accusationibus.*

Dubium septimum, Quot modis accusatio reddatur iniusta? Respondetur tribus modis. *ut colligitur ex l. 1. ff. ad senatusconsultum Trebellianum, & de abolitionibus, & apud Gratianum 2. q. 3. c. si quis penituerit, & apud San. Thomam 2. 2. q. 68. art. 3.*

Primo, calumniando, quando scilicet accusator falsum etimen imponit, qui eo ipso peccat mortaliter, & tenetur restituere omne damnum illatum accusato, *cap. fin. de calumniatoribus.*

Secundo, tergiversando, quando scilicet accusator in totum à lite recedit sine auctoritate iudicis, si roges, an in conscientia sit peccatum, si recedat à lite in totum sine auctoritate iudicis? Respondetur, in foro exteriori puniri præna pecuniaria quinque librarum auri, *ff. de præuicatoribus. l. 3.* In foro autem conscientie esse quidem peccatum, si ex aliquo sine malo procedat; non tamen si recedat ex aliqua rationabili causa, ut puta, si recedat, quia comperit esse innocentem, quem accusauit, aut si ex misericordia, pietate, vel charitate à lite desistat.

Tertio, præuaticando, quando scilicet accusator cum reo colludit, adiunans partem aduersam, falsis probationes adducendo, veras dissimulando. Quod si roges, utrum huiusmodi accusator peccet? Respondetur, in foro exteriori puniri iudicis arbitrio. *l. 1. c. 2. ff. de præuicatoribus.* In conscientia verò peccare quidem, si aliqua falsitate, vel prohibitis vtatur; non tamen peccare in his casibus, in quibus posset licitè ab accusando desistere, si nulla falsitate, aut prohibitis vtatur.

Dubium octauum, Vtrum quis possit reum accusare, postquam veram sui peccati penitentiam egerit? Respondetur posse, sic Innocentius communiter receptus *in c. De his, de accusat. & Glossa ibidem.* Ratio huius est, quia per penitentiam satis sit Deo, sed per punitionem in iudicio impositam, satis sit Reipub. ut ceteri timeant, & metu peccare à peccatis detreantur, & consequenter omnes in pace, & quiete viuant. Vnde supra diximus, reum posse accusari, etiam si sit plenè emendatus, & correctus, quia accusatio non est instituta, ut denunciatio ob priuam emendationem proximi, sed ob publicam malefactoris & criminis punitionem, & poenam.

Quædam alia dubia circa accusationem,
& accusatorem diluuntur.

CAPVT XX.

DUBIUM primum, an fiscales, aduocati, procuratores, & ceteri iustitiarum officiales, qui ex officio suo tenentur denunciare, vel accusare delinquentes, peccent, si non accuset, vel denuntiet. V. g. tenentur denunciare arma deferentes certi generis, vel certis anni temporibus, & in certis locis prohibitis. Item, transferentes ex vno loco in alium merces absque hoc, quod manifestent eas, ut certum quod soluant. Item transferentes res prohibitas; item, post campanæ pulsionem noctu per vias deambulantes. Item, non soluentes gabellas, vel vectigalia, vel cedentes ligna, venantes, aut piscantes, aut sua peccata pascens in locis, vel temporibus prohibitis, & similia? Respo-

detur ex Medina, *de restitutione questio. 12.* & Nauarro *in Manuali ca. 17. num. 122.* istos in duobus casibus non peccare, saltem mortaliter.

Primo, quando non denuntiant eos, qui faciunt contra leges humanas, eo quod id faciant extrema, vel graui aliqua necessitate compulsi. V. g. si quis cedat ligna siluæ, necessitate compulsi propter vsum suæ familie: tunc officialis, quantumuis ex officio suo, immò iuratus teneatur denunciare delinquentes, non peccat, si istum non denuntiet; quia lex positua humana non intelligitur esse contra charitatem, ergo similis casus intelligitur exceptus. Nec facit officialis contra officium suum, vel iuramentum: quia sicut lex intelligitur, excepto simili casu, sic officium, & iuramentum officialis intelliguntur, excepto eo casu.

Alter casus est, quando delinquentes contra leges humanas sunt consanguinei, cognati, vel affines, aut etiam amicitia aucta consuetudine eorum, qui leges, vel statuta condiderunt, quia etiam in eo casu intelliguntur excepti. Extra hos casus peccant officialis, si delinquentes non denuntiet: faciunt enim contra officium suum, & contra iuramentum, quod præstiterunt. Item faciunt contra bonum publicum; nam damnum sequitur in Republica. Si roges, an peccent, nisi denuntient eos, qui faciunt contra leges, qui reuera si peterent facultatem faciendi contra eas leges, obtinerent eam? Respondetur peccare, quia ex vi sui officij, & iuramenti tenentur eos denunciare; sibi verò imputent delinquentes, qui cum possent facultatem obtinere, neglexerunt.

Dubium secundum, An is, qui accusare, denunciare, vel querelam potrigere tenetur, si pretium accipiat, ne accuset, denuntiet, vel querelam potrigat, teneatur in conscientia ante condemnationem iudicis illud pretium acceptum restituere? Respondetur, huius dubij solutionem esse nobis traditam in tractatu de restitutione in communi, par. 2. capit. 2. dub. 2. c. 3. & in præsentia breuiter dicimus non esse obligatum ad restitutionem, quamuis sit multorum opinio, ut loco citato diximus, eum esse obligatum.

Dubium tertium, Vtrum, si quis pretio accepto pro accusando, vel denunciando, calumniosè accuset, vel denuntiet, teneatur restituere pretium acceptum? Respondetur, etiam dubij solutionem esse à nobis traditam loco supra citato, & iuxta ea, quæ ibi diximus, respondemus breuiter, eum non esse obligatum in conscientia ad restitutionem ante condemnationem iudicis contra opinionem multorum. Et loquimur in vtroque dubio ex iure communi ciuili, vel canonico, naturali, aut diuino: nam ex vi alicuius specialis statui potest esse obligatio restituendi illud pretium acceptum in conscientia.

Dubium quartum, An si officialis, siue publicus minister ex officio suo obligatus ad accusandum, vel denunciandum reum, teneatur in conscientia soluere eam poenam, ad quam damnaretur reus ille, siue delinquens, si ipse officialis accusaret, vel denuntiat? Sunt duæ opinioniones.

Prima asserit, eum non esse obligatum. Sic Nauarrus *in Manuali capite vigesimo quinto, num. 34.* & Syluester *verb. restitut. 3. questio. 5. vers. 7.* & vterque citat pro se S. Bernardinum.

Secunda opinio ait, eum esse obligatum in conscientia ad soluendam eam poenam. Sic Medina *de restitutione, questio. 12. circa finem, & quest. 15. prope finem.* Angelus *in verb. poena, num. ultimo*, & Syluester sibi ipsi contrarius *in verb. poena, num. ult.*

In hoc dubio omnes conveniunt, quod si poena, ad quam esset delinquens damnandus, sit corporalis, qualis est poena exilij, carceris, vel verberum; tunc officialis non tenetur eam poenam soluere, etiam si non denuntiauerit delinquentem. Tota igitur difficultas est, quando poena ad quam esset damnandus delinquens, est pecuniaria, & de hac mihi videtur probabilior.

Secunda opinio, nimirum esse obligatum in conscientia officialem ad eam poenam soluendam.

Primo, quia reuera huiusmodi poena solet esse applicata ex legibus, vel fisco, vel alicui tertio, qui emit pecunias pecuniarias, ad quas solent delinquentes damnari, vel alicui pio loco. Sed tunc officialis contra officium suum, & iuramentum impedit, ne isti acquirant suum ius, quod habent in poenas. Ergo officialis sic impediendo agit contra iustitiam commutativam, & consequenter tenetur ad restitutionem.

Secundo, si iudex non condemnaret delinquentem ad poenam pecuniariam, quae est applicata alicui tertio, qui suis pecuniis eam emerat, reuera teneretur solvere eam poenam, quia ex omisso suo officio intulit damnum emptori.

Tertio, quia quicumque iniuste impedit alium, ne consequatur rem suam, vel ius, tenetur ad restitutionem: sed huiusmodi officialis contra officium suum impedit, ne fiscus, vel alius eam poenam consequatur, ad quam ius habebat, ergo officialis in conscientia tenetur ad restitutionem.

Sed contra hanc nostram sententiam sunt argumenta. Primum est: poena nunquam debetur, nisi post condemnationem iudicis, ergo si reus non est condemnatus, poena non debetur in conscientia, & consequenter officialis non tenetur eam solvere in conscientia. Respondetur in hoc casu poenam habere duas rationes, nimirum rationem poenae, & damni. Comparatione delinquentis habet rationem poenae; & ita reus nunquam in conscientia debet eam solvere ante condemnationem. Comparatione vero eius, cui est poena applicata, habet rationem damni: nam ei damnum infertur, quatenus officialis impedit eum, ne poenam, ad quam ius habet, allequatur.

Secundum argumentum est, quando duo sunt obligati ad restitutionem propter delictum, si principalis non obligatur ad restituendum, multo minus obligatur ille, qui est minus principalis. Sed in hoc casu concurrunt duae personae, delinquens, & officialis; & delinquens concurret tanquam principalis: sed iste non obligatur ad soluendam poenam ante condemnationem iudicis, ergo multo minus obligatur officialis. Respondetur, falsum esse, officialem in hoc casu concurrere tanquam minus principalem, quia reuera concurret per se principaliter, tanquam ex officio suo obligatus ad evitandum damnum eius, cui est illa poena applicata: & delinquens concurret tanquam principalis etiam, sed ex alio tamen capite, nimirum ratione delicti, cui per legem est poena inflicta, & ita non est mirum, delinquentem non obligari ad soluendam poenam, nisi post sententiam iudicis, & tamen obligari officialem ad restituendum in conscientia, quia officialis obligatur ratione damni, quod infertur, impediendo contra officium suum, ne alius allequatur suum ius: sed delinquens solum est obligatus ad soluendam poenam post condemnationem delicti.

Est tertium argumentum: Officialis in non denuntiando, solum peccat contra iustitiam legalem, quia ex lege tenetur denuntiare: sed sola violatio iustitiae commutativae inducit obligationem restitutionis; ergo non tenetur officialis in conscientia ad soluendam poenam. Respondetur, falsum esse, in officiali solum esse violationem iustitiae legalis, quia etiam violat iustitiam commutativam. Nam cum eligitur ad officium, & ipse in electionem consentit, contractum celebrat in virtute, ex cuius vi tenetur ad soluendum damnum, quod patitur vel communitas, vel pars, cui per leges est illa poena applicata, & consequenter debita. Et proinde cum poena sic applicata vel fisco, vel alicui tertio privato, officialis impediendo, ne vel fiscus, vel ille tertius allequatur poenam delinquentis, facit contra officium suum, & consequenter contra contractum in assumptione sui officij, quod est violare iustitiam commutativam.

Dubium Quintum, An huiusmodi officiales peccent, & teneantur ad restitutionem, si se infidiosè occultent, vel liberius peccent contra leges ceteri, ut deinde ipsi ex infidiis

prodeuntes capiant eos? Respondetur huiusmodi officiales sic infidiosè agentes peccare, quia reuera sic infidiosè agendo, praebent occasionem ceteris liberius agendi contra leges: hoc autem intendere, quando leges obligant in conscientia, peccatum est. Item, praebent occasionem inferendi maius damnum Republicae. Hoc autem intelligimus in casu, quo ceteri facientes contra leges bona fide ignorant infidias, quibus se officiales occultant: quia reuera si ipsi etiam novissent, similes infidias fieri communiter solere ab huiusmodi officialibus; tunc non videntur mali peccare officiales, utendo huiusmodi infidiis; quia sunt omnibus notae, & sunt communes, & consequenter sibi imputent, qui eas ignorant.

Secundo dicimus, officiales huiusmodi infidiis utendo, non obligari ad aliquam restitutionem faciendam delinquentibus, si condemnati poenam poenam solventur: nam huiusmodi officiales ex vi sui officij non sunt constituti ad consulendum bono delinquentium, sed bono Republicae, & ita non sunt obligati ad restitutionem damni, si quod passi sint delinquentes: nam illud damnum patiuntur ratione delicti, quod sua sponte commiserunt: sic sentiunt Medina & Nanatus loco supra citato.

Dubium sextum, Virum pactum, vel iuramentum de non accusando sit validum? Respondetur ex Glossa communiter recepta in cap. Quomodo modum de iurac. arde: si pactum, vel iuramentum sit de non accusando delicto perpetrando, id est, quod imminet, ac pendet in futurum, non valet, quia est contra bonos mores, & bonum commune: immo, sic pacifens, vel iurans peccat mortaliter, nisi ex ignorantia exesetur. Si vero pactum sit de peccato iam perpetrato, quod nullo modo pendet in futurum, neque damnum ex ea timetur, tunc pactum validum est, quia tunc non datur occasio peccandi in futurum.

De modo procedendi per denuntiationem.

CAPUT XXI

DENUNTIATIO à Canonistis in capite Novit, de iudicis, communiter dividitur quadrifariam, et alia sit Evangelica, quae sit per Evangelia inducitur, iuxta illud Christi Domini, *Matth. 18.* *Si peccaverit in te frater tuus, &c.*

Secunda Canonica quae sit per Canones introducta, qua proceditur specialiter, vel generatim, ut remoueat quis ab officio, dignitate, beneficio. Item, ut Clerici, vel laici a criminibus arceantur. Item, qua denuntiat alius promouendi indiguitas, ne eligatur, ordinetur, instituat, confirmetur. Item, qua denuntiat aliquid impedimentum matrimonij, ne inter duos, videlicet, qui volunt coniungi, contrahatur matrimonium, vel ut iam contractum dissolvatur.

Tertia iudicialis, qua procedit iudex contra malefactores, ut crimina poena publica puniantur, vel qua procedit iudex, ut alicui privato competens satisfactio reddatur in eo, quod sua interest.

Quarta regularis, qua proceditur in regularibus ordinibus contra ipsos Religiosos iuxta eorum Constitutiones, & Regulas. Sed reuera huius divisionis membra coincidunt, nam Canonica, & Regularis potest esse iudicialis. Rectius igitur secundum Theologos denuntiatio bifariam dividitur, ut alia sit, qua crimen denuntiat Praelato tanquam patri, ad emendationem proximi delinquentis; & haec sit iuxta ordinem institutum à Christo Domino. *Matth. 18.* illis verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, &c.* Alia vero iudicialis, qua crimen defertur ad Praelatum tanquam iudicem, quae fieri aliquando solet ob publicam punitionem criminis, aliquando ut pars offensa competentem satisfactioem obtineat: aliquando, ut quis tanquam indignus officio, dignitate, vel beneficio privetur, vel ne quis indignus ordinetur, eligatur, instituat, confirmetur, vel ne duo Canonici impedimentum habentes matrimonij, coniugio copulentur, aut iam contracto trantur, ut de his omnibus casibus dicam *infra, dub. 3. & 4.* Et de hac denuntia-

nantia-

denuntiatione iudiciali est nobis in presentia tractandum.

Dubium primum, in quo dicitur supra dicta denuntiationes distinguantur? Respondetur eas differre ex fine, & natura sua. Nam denuntiatione iudicialis fit, vel ob publicam punitionem criminis, vel ob competentem partis offensae satisfactionem, vel ad remouendum indignos, vel ad eos non admittendos, vel denique ad impediendum, ne aliquid fiat contra Canones, vel leges, ut ostendit infra dub. 3. & 4. At verò altera denuntiatione solum fit ob priuatam emendationem, & penitentiam proximi peccantis. Ex quo fit, ut proximus plenè emendatus, amplius per huiusmodi denuntiationem denuntians non debeat: secus tamen est de iudiciali denuntiatione. Item eo ipso quod est ordinata ad emendationem proximi, fieri debet, quo ad eius fieri poterit, cum minimo detrimento famae, vel honoris eius. Et ideo Christus Dominus constituit, ut primum omnium secretò corripatur, nec procedatur ulterius, si fecerit correptus ac monitus respiciat: sin minus, ut coram vno, aut duobus testibus corripatur, ut pudefactus respiciat, neque ulterius procedatur; quod si neque hoc procefferit, denuntietur Praelato: quia Praelatus, ut patet, plura, & efficaciora remedia adhibere solet, & potest, ad priuatam emendationem fratris, secus verò est de iudiciali, quia in hac non proceditur, ut diximus ad priuatam emendationem peccanti.

Dubium secundum, Quotuplex sit denuntiatione iudicialis? Respondetur, bifariam communiter diuidi, ita ut alia sit publica, alia priuata, siue specialis. Publica est, quae fit ob publicam punitionem delicti. Priuata quae fit, ut pars offensa priuatim habeat competentem suam, vel suorum iniuriae satisfactionem. Ego tamen dicere, publicam esse, quae fit, vel ob publicam punitionem criminis, sicut etiam fit accusatio, vel saltem ob publicam utilitatem, ut est ea, quae fit, vel ad remouendos indignos ab officio, dignitate, vel beneficio, vel ne admittantur indigni ad officia, vel ordines, vel ad matrimonia. Priuatam verò esse, quae fit, ut quisque priuatim habeat sui damni, vel iniuriae satisfactionem.

Dubium tertium, An denuntiatione iudicialis sit remedium ordinarium, an verò extraordinarium? Sunt, qui dicant, esse remedium ordinarium, quia in cap. 2. Qualiter, & quando, de accusationibus, dicitur, iudicem procedere, vel per accusationem, vel per denuntiationem, vel per inquisitionem; sed Iul. Clarus lib. 5. receptarum sententiarum q. 7. nu. 1. ait esse remedium extraordinarium, quia in iure regulariter procedi non potest sine accusatore: at verò sicut in certis casibus in iure permittitur proceditur per inquisitionem; & ideo inquisitio est remedium extraordinarium; sic etiam non nisi in certis casibus iure permittitur proceditur per denuntiationem. Et ita denuntiatione erit remedium extraordinarium. Dicendum est, si loquamur secundum ius commune civile. Denuntiatione est remedium extraordinarium, quia per eam non proceditur, nisi in certis casibus iure permittitur. Si tamen loquamur secundum consuetudinem, aut secundum ius Canonicum, denuntiatione est remedium ordinarium, sicut accusatio: quia ex consuetudine, saecularis etiam sicut constituit quosdam aduocatos, vel syndicos fiscales, ut quaeunque crimina denuntient, & ad eorum denuntiationem iudices procedunt ex officio suo per inquisitionem, recipiendo testes, & informationes, & suum ius Canonicum in c. 2. qualiter, & quando, de accusationibus. Praelatus tam ordinariè procedere potest per denuntiationem, quam per accusationem.

Dubium quartum, in quibus casibus in foro saeculari possit iudex procedere per denuntiationem iudicalem? Respondetur, si loquamur, de iudiciali denuntiatione publica, tunc secundum ius civile commune procedit iudex ad denuntiationem suorum officialium publicorum, & deputatorum ad denuntiandum, l. Ea quidem C. de accusationibus. secundum verò consuetudinem potest procedere ad denuntiationem propositam à quocunque alio priuato, ut ait Iul. Clarus loco citato: si verò loquamur de priuata, vel speciali denuntiatione iudiciali, quae competit parti laeae, vel offensa, pro eo, quod sua interest, tunc secundum ius civile potest pro-

cedere iudex, quando is, qui prosequitur, quod sua interest, non potest agere, vel accusare, & reputa, quia est seruus, & coqueritur de domino, vel filius de patre, vel subiectus potestati alterius, de eo, cui est subditus, l. c. s. Quod autem ff. de officio praefecti Urbis. Abbas in c. nouit de iudic. & communiter doctores: sic etiam in rusticis oppressis, l. Nec quidquam ff. de officio proconsulis §. de plano. Item in his, quae spectant ad forum venale, ut iusto pretio vendantur, l. i. §. Cura carnis ff. De officio Praefecti.

Dubium quintum, in quibus casibus in foro Ecclesiastico possit iudex procedere per denuntiationem iudicalem? Resp. Primum, quando est clericus, qui denuntiat, ut puta quando Clerici, vel Regulares conueniunt de iniuriis oppressionibus suorum Praelatorum. Secundum, quando laicus est, qui denuntiat; crimen tamen eius est ex sua natura Ecclesiasticum, ut est haeresis, simonia. Tertio, similiter in laicis, quando ob defectum iudicis saecularis crimen in foro saeculari non auditur, ut puta, vel quia iudex saecularis negligit, vel quia vacat potestas, & iurisdicção saecularis, vel quia iudex saecularis est tyrannus, vel quia in iudicio saeculari secundum leges civiles in certis casibus, & casibus non datur actio, vel non datur repetitio, ut reuera sunt aliqui casus, ut quando est quis obligatus obligatione naturali tantum, non civili, vel nudo tantum pacto, vel simplici iuramento. Quarto, similiter in laicis ratione pacis violatae, vel iuramenti non seruati. Quinto, etiam in laicis, quando est miserabilis persona, quae denuntiatione proponit. Sexto, etiam in laicis, quando aliquis clam est damno affectus, & auctor damni illati est occultus, tunc vsus est Ecclesiae, ut Episcopi excommunicationes ferant contra huiusmodi damni occultum auctorem, nisi restituerit intra certum tempus; imò etiam contra scientes, nisi reuelauerint, cap. Si sacerdos, de officio ordinarij. Sic etiam solent Episcopi excommunicationes ferre contra eos, qui per vim, vel iniuriam & occultè detinent alienum; quia in his duobus casibus, cum auctor criminis sit occultus, & crimen sit manifestum, non potest ad petitionem partis procedere iudex saecularis, quia pars laeae, & offensa nihil potest probare in iudicio saeculari. At verò iudex Ecclesiasticus iure procedit, quia per censuras potest iubere, ut quisque restituat, quod contra iustitiam usurpauit, vel detinet: nam ad Ecclesiam pertinet praecipere, ut quisque sui peccati penitentiam agat; sed penitentia peccatorum agi non potest, nisi fiat restitutio alicui. Septimo, etiam in laicis, quando causa est spiritualis, siue Ecclesiastica, siue spiritualibus annexa; ut quando agitur de matrimonio impediendo, vel dissolueno ob impedimentum aliquod canonicum, cap. Ad dissolueno, de desponsatione impuberum, c. tua nos, de cognat. spiritual. Et c. cum inhibito, de clandest. desponsa. Et 22. quest. 5. c. hoc videtur.

Dubium sextum, An semper praecedere debeat monitio priuata facta, ante denuntiationem? Ratio dubitandi est, quia in cap. 2. Qualiter, & quando, de accusationibus, aperte dicitur, per accusationem non procedi sine accusatore; per denuntiationem sine priuata monitione, per inquisitionem sine infamia? Respondetur distinguendo, si denuntiatione iudicialis est in foro saeculari, tunc siue sit generalis, siue specialis, & priuata, non debet praecedere vlla admonitio. Speculator in Tit. de denuntiatione. §. 7. Bartolus in l. Dimissus ff. de custodia reorum, Et in extraneis, ad reprimendum, in vers. de denuntiatione, Angelus in tract. de maleficijs, vers. Nec non ad denuntiandum, Salicetus in l. Ea quidem C. de accusationibus, Abbas in c. Nouit, de iudic. nu. 48. Angelus in verbo denuntiatione, num. 6. Si verò loquamur de denuntiatione iudiciali, quae fit in foro Ecclesiastico, quam legistae, & canonistae appellant denuntiationem canonicam, hoc est, per canones inductam, siue concessam: tunc si generalis sit, non est necesse, ut praecedat admonitio. Glossa in cap. Ad dissolueno, de desponsatione impuberum, Angelus verbo denuntiatione, num. 3. Si verò sit specialis, tunc requiritur monitio praecedens, quae secundum Doctores communiter, Hostiensium, Innocentium, Andream

& alios, in cap. Nouit, de iudicij, debet esse etna; sed secundum Abbatem in cap. Nouit citato, sufficit, vt sit bina, & hoc est verius: quia secundum ordinem à Christo Domino constitutum. *Matth. 18.* in illis verbis; (si peccauerit in te frater tuus,) ex quo loco canones denuntiatione Canoniam induxerunt, non requiritur, vt crimen denunciatur Ecclesie, id est, Prælati, vt frater peccans ter moneatur, sed his, nimirum semel priuatum, & secreto, inter te, & ipsam solum, secundo coram vno, vel duobus testibus;

Dubium sextum, Quis possit denunciare per denuntiationem iudicalem; Bart. vt citat Iul. Clarus responder non posse denunciare, nisi eos qui possunt accusare, sed teste Iul. Claro, hæc regula Bartoli communiter reiectur, nam ij, quos ad denunciandum sicut deputat, vt plurimum sunt personæ viles, & cuiuscunque sortis, qui secundum ius civile accusare aliqui non possunt. Dicendum igitur est, Si loquamur de denuntiatione quæ fit in foro seculari, satis est, si fiat per aduocatos, & syndicos fiscales ad id deputatos, etiam si secundum ius civile aliqui accusare non possent. Item etiam admittitur denuntiatio facta à quocunque alio priuato, etiam si talis sit, vt secundum leges accusare non possit: quia ad hanc denuntiationem à quocunque priuato potest, ex consuetudine procedit, deinde index ex suo officio per inquisitionem contra reos. Si autem denuntiatio fit facta per partem læsam siue offensam, petentem, quod sua interest, admittitur, etiam si facta per seruum, vel per filium, vel subditum. Si verò loquamur de denuntiatione quæ fit in foro Ecclesiastico, etiam admittitur à quocunque fiat, & à quocunque priuato potest.

Dubium septimum, Quæ delicta possint denunciari? Respondetur si loquamur de denuntiatione iudicali, quæ fit in foro seculari per syndicos fiscales, tunc secundum ius civile, non est denunciatio, nisi de delictis notoriis, *l. Ea quidem. C. De accusationibus*, sed ex consuetudine huiusmodi publici officiales possunt, & debent denunciare quæcunque delicta, quæ possunt in iudicio exteriori probari, quamuis notoria non sint: immò solent puniri priuatione officij, si non denuntient. Item si denuntiatio fiat in foro seculari per quemcunque alium priuatum, possunt ex consuetudine denunciari quæcunque crimina, quæ in eo iudicio exteriori probari queunt. Si verò denuntiatio fiat in foro Ecclesiastico, aliquando fit etiam per procuratores, & syndicos fiscales, & isti possunt denunciare quæcunque crimina, quæ in eo foro probari queunt. Aliquando verò fit per alias personas priuatas, veluti quando sunt denuntiationes generales, & tunc etiam ea omnia delicta, quæ possunt in eo foro probari, denunciari queunt.

Dubium octauum, An in denuntiatione sit seruanda solennitas iuris, quæ seruanda debet in accusatione? Respondetur Iul. Clarus loco citato q. 7. nu. 12. ex communi sententia denunciatores non obligari ad se subscribendam ad pronam rationis subeandam, sed tantummodo deferre in scriptis suam denuntiationem; aut ipsi met narant eam notario, qui ipsis dictantibus redigit illam in scripta. At verò alie solennitates solent seruari, nimirum expressio criminis, & malefactoris, & loci, & temporis, quo perpetratum est crimen.

Dubium nonum, Quomodo denunciatio, quæ dicitur Evangelica, nimirum ea, quæ delictum deferretur ad Prælatum, vt patrem, ob priuatum peccatoris penitentiam, & emendationem; & de qua loquitur Christus Dominus, *Matth. 18.* illis verbis: (Si peccauerit in te frater tuus, &c.) transeat in denuntiationem iudicalem? Respondetur, Certum est nunquam transire in iudicalem, quæ fit in foro seculari, quoniam per illa verba Christi Domini; Dic Ecclesie, certum est, apud omnes intelligi Prælatum Ecclesie, non iudicem secularem. Vnde Evangelica denuntiatio non potest transire in iudicalem, quæ fiat coram iudice seculari, & ita denuntiationes, quæ fiunt coram iudice seculari, vt supra diximus, nullam precedentem monitionem, aut denuntiationem Evangelicam requirunt. Tota difficultas est, an possit transire in iudicalem, quæ fit in foro Ecclesiastico coram Prælati Ecclesie, & quomodo possit transire.

Antonius de Butrio, vt cum citat Abbas in ca. Nouit, de iudicij, sentit, Evangelicam depiicationem nunquam transire in iudicalem. Ait. n. fratrem peccantem prius esse secreto corripiendum; q. si resiquerit, non esse vitra procedendum: si minus, esse corripiendum coram vno, aut duobus testibus, qui similiter delictum nouerint; q. si cortexerit, non esse deferendum ad Prælatum; si minus denuntiandum esse Prælati: non, inquit, vt punitur, nec vt contra ipsum in iudicio procedat, sed vt tanquam pater, fratrem possit facilius, & commodius corrigere, habet enim Prælati in proprio plura, & efficaciora remedia ad corrigendum peccantem, quam quicunque alius priuatus; & ideo potest efficacius fratrem exhortari ad penitentiam, & efficacius pro eo orare, & curare, & alij ipso facto, sententiam excommunicationem generaliter ferre; nimirum vt quæcunque in hoc, vel illo peccato mortali extiterit, Sacramento Eucharistie ablineat, & à factis, alioqui ipso facto, sententiam excommunicationis incurrat. Hæc Antonius ille ex Abbate. At verò communis est sententia, Evangelicam denuntiationem posse transire in iudicalem: ita vt Prælati Ecclesie possit contra denuntiatum procedere in iudicio, eum excommunicando specialiter, & puniendo priuatione officij, & beneficij. Sic Innoc. Hostiensis, Andreas, Abbas in cap. Nouit, de iudicij. Transit autem Evangelica denuntiatio in iudicalem hoc modo. Prius enim frater peccans corripitur secreto, vt respiciat quo respiciente, non vitra proceditur: si verò non resipuerit, corripitur secundo coram vno, vel duobus testibus, qui delictum nouerint; quod si se emendauerit, non deferretur ad Prælatum; si minus, denuntiatur Prælati, qui prius tanquam pater, secreto monet, & curat, vt frater emendetur; quo emendato, non vitra procedit; si minus, fit transitus ad iudicalem denuntiationem: nam tunc crimen denunciatur Prælati tanquam iudici, & Prælati tanquam index incipit procedere per inquisitionem contra eum, excommunicando, nisi intra certum tempus à peccato desistat. Et quia excommunicatio dignus est priuatione officij, & beneficij, priuat eum officio, & beneficio, si in excommunicationem incidit: ex quo fit, vt denuntiatio Evangelica transeat in iudicalem, non quidem directo & primario, sed per consequentiam, vt dicit Abbas loco citato. Quo verò ordine Evangelica denuntiatio fieri debeat, & à quibus personis, & de quibus delictis, non est huius loci, sed de his tractatum est supra in quarto præcepto decalogi.

De alijs modis quibus index potest in iudicio procedere.

CAPVT XXII.

PRÆTER tres predictos modos procedendi in iudicio, sunt etiam alij, inter quos vnus est, quo procedit index ob malefactorem deprehensum in flagranti delicto: tunc enim certum est apud omnes, posse iudicem inquirere contra eum, accipiendo testes, & informationes. Sed difficultas est.

Primo, an hæc sola deprehensio faciat plenam probationem; q. est querere, an sola si sufficiat, non solum ad examinandum, & interrogandum, & etiam torquendum, vt reus delictum confiteatur, sed etiam ad condemnandum reum. Respondetur non facere plenam probationem ad reum condemnandum, sed facere semiplenam probationem ad reum torquendum. Et hanc esse communem opinionem testatur Iul. Clar. *l. s. receptarij sententiarum in practica criminali q. 8. n. 2.*

Secunda difficultas est, an hæc sola deprehensio sufficiat ad executionem pœnæ statim faciendam? Respondetur, non sufficere, quia vt diximus, non est probatio, sed sufficere ad examinandum, & interrogandum deprehensum, vt si fateatur crimen, statim fiat contra eum executio pœnæ; si verò neget statim ducatur ad torturam absq. alio processu. Hæc Iul. Clarus loco citato.

Tertia difficultas est, an in aliquibus casibus hæc sola deprehensio sufficiat ad executionem pœnæ? Respondet

Iulius

Iulius Clarus *questio citata, num. 2.* in grauibus delictis, & pœnis grauibus imponendis non sufficere; at verò sufficere ex consuetudine in delictis leuibus. Vnde deprehensū in furto vuarum per officiales rectorum cum vis ad colulum appensis, solent per ciuitatem deferri: sic etiam deprehensū cum armis prohibitis, solent statim ad palatium Iudicis, vel carcerem duci, & compelli ad soluendam personam. Hæc tamen fieri solent, quando deprehensæ personæ sunt viles, vulgares, aut populares, non tamen si sint nobiles aut honestæ.

Quarta difficultas est, An reo deprehensō in flagranti delicto, debeat dari copia indiciorum, vel informationum, quæ sunt contra eum, & terminus ad se defendendum? Respondet Iulius Clarus *questione citata, num. 4.* id fieri debere, quando pœnæ, quibus est reus puniendus, sunt graues, nimirum capitales, non verò cum sint leues.

Quinta difficultas est, an requiratur sententia in scriptis à Iudice suscripta ad executionem pœnæ contra reum sic deprehensum? Respondetur requiri, vt docet Iul. Clarus *ibidem*.

Alius modus procedendi in iudicio est per euidentiā criminis, nimirum quando notorium est crimen, & notorius est malefactor: tunc enim certum est apud omnes posse iudicem procedere contra malefactorem vsque ad executionem sententiæ contra eum, nam in eo casu euidentiā criminis & malefactoris est loco accusatoris, cap. euidentiā, de accusatio. Vnde statim iudex ex officio suo recipit informationes & testes, & tribus vel duobus testibus deponentibus contra reum, procedit statim ad condemnandum eum. Si quæras, quod crimen in hoc casu dicatur notorium? Respondetur esse illud, quod in iure dicitur notorium per euidentiā facti, & est illud, quod nulla tergiversatione cæleri potest, eo quod factum sit coram populo, vicinia, loco, vel collegio, vel coram maiori parte populi, viciniae, loci, vel collegij. Difficultas est, an ad hoc, vt crimen dicatur in hoc proposito notorium, satis sit, factum ipsi esse notorium, nimirum quod Titius interfecerit Caium, an verò etiam requiratur, vt sint etiam notoriæ ipsæ qualitates facti, hoc est, quod nulla sit defensio aut excusatio, qua possit Titius suum factum tergiversari, fieri enim potest, vt Titius Caium occiderit ad sui defensionem, vel quod aliqui Caius impune occidi potuerit. Respondet Iulius Clarus *questio. 9. num. 3.* requiri videlicet, vt ipsæ qualitates facti sint notoriæ, & hanc ait esse communem sententiam.

Dubium est, an si crimen sit notorium, occultus tamen malefactor, vt puta; in via iacet homo interfectus, vel constat, domum cuiuspiam esse direptam, vel igni exustam, vel libellum infamatorium esse diuulgatum, & penitus ignoratur, quis occiderit, aut domum diriperit, vel combussit, vel librum scripserit, possit iudex procedere per inquisitionem, generaliter interrogando quis illud delictum commiserit? hoc dubium resoluimus *supra Cap. 15.*

Alius modus procedendi in iudicio est per querelam ab aliquo portectam contra reum? Hic modus procedendi ex consuetudine, successit loco accusationis. Differt tamen ab accusatione, quod in accusatione ex iure requiritur sollemnis libellus, & inscriptio, siue subscriptio accusatoris, vt supra diximus; at in querela, libellus non porrigitur, sed simpliciter sit quædam scriptura, quæ iudici datur loco libelli, in qua continetur nomen accusatoris, & accusati, & iudicis, & criminis commissi, & quo loco, anno, mense, & die commissum crimen fuerit, & exprimitur etiam dies, in quo ipsa scriptura querelæ porrigitur.

Notandum est, Primo per querelam portectam ab aliquo duplīter in iudicio procedi. Primo, ita vt querela sit loco accusationis, & tunc ea porrigitur iudici per scripturam supradictam.

Secundò, ita vt querela non sit loco accusationis, sed loco diffamationis, quæ, sicut diffamatio, aperit viam iudici ad procedendum ex officio suo per inquisitionem contra reum, nimirum ad testes, & informationes recipiendas cō-

tra reum. Iulius Clarus *lib. 3. receptarum sententiarum in Practica criminali, quest. 10. num. 1.*

Notandum secundò, huiusmodi querelam aliquando fieri nudis verbis, item aliquando porrigi à procuratoribus, seu syndicis fiscalibus deputatis à fisco, qui ex officio suo denunciant, petunt, & instant, vt iudices contra delinquentes inquirant: aliquando verò porrigi ab aliquo officiali, siue ministro, ab ipsis iudicibus deputato, qui loci partis, vel syndici fiscalis denuntiat, petit, & instat, vt iudex contra delinquentes inquirat, nam iudex in quocunque casu, quo potest, ex officio suo procedere per inquisitionem, potest etiam creare, & constituere fiscalem, qui denunciet, petat, & instet contra delinquentes loco accusatoris. Aliquando etiam exhibetur querela à quocunque alio priuato, qui in iudicio comparens sua sponte denuntiat, & subministrat testes, & indicia, vt iudex ex officio suo inquirat cōtra reos. Hæc Iul. Clar. *q. citata. n. 3.* Alius modus procedendi in iudicio est per indicia, quæ sunt contra reum. Sed quoniam indicia speciales habent difficultates de hoc modo procedendi, agemus *infra. c. 26. vbi de iudiciis cōtra reū tractabimus.*

Alia dubia circa Iudicem diluuntur.

CAPVT XXIII.

DVIVM, An iudex possit, & debeat condemnare eum, qui secundum allegata, & probata conuictus est reus criminis, quem tamen ipso certo nouit ex priuata scientia esse innocentem? quod est querere, An iudex in iudicando debeat sequi scientiam, quam habet ex allegatis, & probatis in iudicio, an vero priuatam suam notitiam quam habet? Hoc dubium resoluimus, cum de quinto præcepto Decalogi ageremus.

Dubium secundum, An iudex exercendo officium iustitiæ, possit licitè aliquid accipere, an verò teneatur ad restitutionem eorum omnium, quæ accipit à litigantibus.

Primo est notandum, ad quatuor reduci quæcunque iudex solet accipere à litigantibus. Alia enim dicuntur stipendium pro officio exercendo. Alia dicuntur expensæ pro suo labore, & sumptibus, quos facit in exercendo officio. Alia dicuntur munera, quæ offeruntur quasi aliqua ratione debita à litigantibus. Alia dicuntur xenia.

Secundò est notandum munera in iure dici sportulas, olim autem sportulæ dicebantur quæcunque vel in cibo, vel in pecunia dari solebant à magnatibus his, qui officij gratia eos essent comitati, vel domi eos salutaissent. Sed in præsentia sportulæ dicuntur quæcunque munera, vel in cibo, vel in pecunia consistentia, quæ dari solent iudicibus à litigantibus vltra stipendium ipsi debitum. Xenia verò dicuntur quæcunque dari solent iudicibus ad esum, vel potum pertinentia. Vnde dicuntur esculenta, vel poculenta, quæ intra paucos dies consumi possunt, & solent, hoc est, intra duos, vel tres, vel ad summum intra decem dies; nam infra hunc numerum dies communiter dici solent pauci. Olim xenia dicebantur munera, quæ dari solebant hospitibus, quæ ad esum, & potum pertinebant.

Tertiò est notandum, aliter esse dicendum de iudicibus secularibus, & Ecclesiasticis, & aliter de Ordinariis, aliter verò de iudicibus delegatis.

His prænotatis, licet aliquorum fuerit opinio, esse simoniam, accipere aliquid tanquam pretium pro officio iustitiæ exercendo: magis tamen recepta est opinio, quæ asserit nullum esse simoniæ vitium ex natura rei, nisi quando officium iudicis est spirituale, aut spiritualibus annexum. Immo etiam si sit spirituale officium, pretium accipere pro obligatione qua iudex se obligat ad officium obeundum, liberum est ab omni labe simoniæ, vt explicuimus in tract. De simonia, quia tunc iudex non vendit opus sui officij, vel iustitiæ, sed locat operam suam, & obligationem personalem ad tempus pro officio iudicis exercendo. Item in iudice seculari aliquid accipere pro officio exercendo, non est simonia, quia iudicis opus exercere, est quid personale, quod fit ex industria, labore, studio, & perita iudicis,

nec est contra hoc id, quod habetur in c. Cum ab omni de vita, & honestate clerico. in fine, vt per se patet ex dictis.

Circa stipendium. Prima difficultas est, An quando per conventionem, vel per legem taxatum est iudici stipendium pro suo officio, possit licet aliquid amplius accipere loco stipendij à litigantibus pro ferenda sententia, pro iudicando, vel pro exercendo suo officio? Respondetur, ex communi omnium sententia non posse, siue ordinarius iudex, siue delegatus, quando est iudex secularis, quia stipendium habet taxatum, ergo non potest stipendium accipere: sicut miles stipendio conductus, aut quicumque alius operarius mercede conductus ad aliquid agendum. Vnde si aliquid pro stipendio accipiat ultra stipendium sibi ex conventionem, vel lege præscriptum, vel consuetudine, tenetur restituere his, à quibus accepit. Ex quo sequitur, vt iudex Ecclesiasticus, siue ordinarius, siue delegatus, habens beneficium Ecclesiasticum, cui sit annexa iurisdicção ad aliquid agendum, non possit aliquid aliud loco stipendij accipere à litigantibus, quia beneficium est propter officium, ergo ratioe beneficij habet stipendium sibi assignatum. Andreas, Abbas, in c. Cum ab omni de vita, & honestate clericorum, Angelus iudex num. 6. Siluester iudex i. quæstio. 8. num. 1. Si quæras, Quid, si beneficium est tenue, quod non sufficiat ad eum iudicandum, & sustentandum? Respondetur ex Gabriele, in 4. Distin. 15. quæstio. 6. art. 2. conclus. 4. adhuc in hoc casu non posse accipere aliquid aliud loco stipendij, quoniam etiam si tenue sit beneficium, sibi imputet, qui consensum præbuit in sui electionem: nam eo ipso quod ratam habuit sui electionem, beneficium accepit cum suo onere. Quod si dicas, eo ipso, quod beneficium est modicum, videtur esse liberum à prædicto onere: nam beneficiarius beneficium habens insufficientem, non consecutus beneficium habere; Respondetur, beneficium Ecclesiasticum, quantumvis modicum, esse beneficium, & qui habet illud, gaudet privilegijs beneficiorum in iure concessis, & ita etiam debet sustinere onera.

Dubium quid possit iudex, circa stipendia officialium suorum? Respondetur, pro assessore iudex Ecclesiasticus ordinarius non potest accipere stipendium à partibus, quia tenetur ex suo beneficio ei providere: Abbas, Andre. Angelus Siluest. delegatus potest, nisi petat mala fide, v. g. si assessor sit inutilis, Abbas, Angel. Siluest. pro notario ordinarius Ecclesiasticus, aut pro alijs, officialibus non potest petere stipendium, quoniam ex suis bonis tenetur eis providere. Sic docet Siluest. Angelus si aut posse petere. Abbas remittit se in hoc ad notata in Clem. statutum, de electio, delegatus verò, convenit inter omnes, quod possit accipere, dummodo delegatus non participet ex eo: iudex verò secularis siue ordinarius, siue delegatus pro assessore, & pro alijs officialibus potest accipere stipendium.

Quod spectat ad munera, siue sportulas, Primò, iudex Ecclesiasticus ordinarius habens beneficium, cui annexa est iurisdicção, non potest accipere à litigantibus munera, vel sportulas. Sic communis opinio, quod videtur colligi ex cap. Cum ab omni, De Vita, & honestate clerico.

Secundò, iudex secularis, tam ordinarius, quam delegatus principis, quantum est ex iure civili communi, potest aliquid munus accipere, quoniam in Authentica de iudicibus, qua incipit à Zenone. §. ne autem, collatione. 6. dicuntur duo, Primum, quod si lis fuerit de re, quæ excedat summam centum aureorum, possit iudex in principio litis duos aureos accipere ab utraque parte, & Glossa ibi intelligit, quod quilibet pars det duos aureos iudici causæ, & in fine litis totidem. Quod si non attigerit prædictam summam, nihil possit accipere. Et ibidem insinuat esse alicubi consuetudinem, vt iudex in fine litis accipiat decimam partem. Quidquid sit de iure communi erga iudices seculares, semper sunt inspiciendæ leges speciales, & statuta, consuetudines Regni, Pronincie, Ciuitatis, & loci, Videndumque est, quid huiusmodi leges constituent. Nam alicubi sunt statuta, vt iudices nullum munus accipiant à litigantibus, interim dum litigant. Alii verò sunt statuta, vt

iudices, interim dum habent officium, nullum munus accipiant ab aliquo eorum, qui sunt eorum iurisdictioni subiecti, præter quam à propinquis, & cognatis, intra secundum gradum. Alii verò sunt statuta prohibentia in vniuersum, ne iudex aliquid muneris accipiat, interim dum fungitur officio iudicis. Si verò loquamur de iudice Ecclesiastico, tunc si ordinatus est, nullum munus potest accipere, quia beneficium habet ad suam commodam sustentationem. Si verò iudex sit delegatus Papæ, non potest similiter munus accipere, vt dicitur in cap. statutum, de Rescriptis. §. Insuper, in 6. Si quæras, quid sit dicendum delegato ordinarij, & non Papæ? Respondetur, in c. Statutum, solum sit mentio iudicis delegati à Papa: at verò in c. Cum ab omni. De vita & honestate, clericus generaliter videtur constitui iudicem delegatum non posse aliquid munus accipere. Si secundo quæras, quid sit dicendum, si delegatus Papæ habeat beneficium non sufficiens ad vitam? Respondetur, non posse eum munus aliquid accipere, quia satis est, vt habeat beneficium, etiam si sit tenue: nam eo ipso accepit illud cum huiusmodi onere. Si tercio quæras, an si huiusmodi delegatus Papæ accipiat aliquid muneris, teneatur ad restitutionem eius? Respondet obligari ad restitutionem, vt dicitur in c. Statutum, præcauto. Et restitutio faciendam est ei, qui dedit munus. Si quarto roges, an teneatur ad restituendum, si ei restitutio fiat ab eo, qui dedit? Respondetur, vt dicitur in c. Statutum, citato, restitutio est inualida. Si verò quæras, Quid si iudex restituit danti, & postea donatis, cui facta est restitutio? Respondet Glossa in prædicto capite, donationem tenere, quia prædictum caput solum decernit remissionem esse inualidam, non verò donationem; & restitutio sit, antequam debitum soluat, quæ facilius fieri solet, & ideo prædictum caput irritauit illam. Sed donatio sit post debitum solutionem, quæ non ita facile fieri solet. Sed notandum est, vt rectè ait Angelus, iudicem posse restitutionem muneris accepti dupliciter facere, Primò, post litem finitam, & tunc si is, cui facta est muneris restitutio à iudice, denuo donauerit, tunc donatio est valida: & hoc sensu vera est opinio Glossæ, quia est liberalis, & gratuita donatio, & tunc facta non est à litigante, siquidem finita est iam lis. Secundo modo potest iudex facere restitutionem, ante litem finitam, ita vt is, cui facta est restitutio, denuo donet ante litem finitam: & tunc donatio non est valida, quia interim dum durat lis, semper est verum dicere, munus, quod accipitur à litigante, accipi à parte, non omnino liberaliter, & gratuito, quia pars interim dum litigat, videtur dare inuitum, & causa litis. Vltimò, si roges, an per consuetudinem contrariam possit iudex delegatus Papæ aliquid munus accipere? Panormitanus in cap. Cum ab omni, De vita, & honestate clericorum, sentit consuetudinem contrariam nihil valere; quia in c. prædicto, statutum dicitur: (Nihil obstante consuetudine, in contrarij.) Sed probabilior mihi videtur sententia aliorum, qui asserunt, prædicta verba supradicti capitis Statutum, intelligi de consuetudine præterita, id est, quæ vigeat ante illud caput, statutum: non autem de consuetudine in futurum, id est, quæ introducta est, vel quæ viget post illud caput, statutum. Vnde si alicubi sit consuetudo, vt huiusmodi iudices aliquid muneris accipiant, non sunt condemnandi.

Circa expensas dicendum est. Si sermo sit de iudice ordinario Ecclesiastico, tunc etiam, quando extra domicilium suum proficiscitur ad locum suæ iurisdictionis, nihil potest pro expensis accipere ex iure, quia redditus beneficij habeat pro stipendio, & pro expensis; nisi quando proficiscitur pro consecrandæ Ecclesie. Cum sit Rom. De simonia, vel pro sua provincia visitanda, c. Cum Apostolus, de Consensibus. Si verò sermo sit de iudice delegato Papæ, tunc cum extra domicilium suum proficiscitur, ius habet petendi expensas moderatas, c. Statutum de Rescriptis. §. Insuper in 6. Et notandum est nomine expensarum intelligi ea, quæ sunt necessaria ad vicium, & ad vecturas equorum. Sic Glossa in eo. c. Abbas, Sil. & Ang. locis supra citatis. Si roges, an teneatur deducere eas expensas, quas domi suæ fecisset? Gloss. in eo. c. sentit ad id referri: sed verius est, quod aiunt Siluester, & Angelus ex

Panormitano, ad id minime obligari.

Si secundò quæras, An teneatur deducere maiores expensas, quas fecit, si minores facere potuisset? Respondetur non teneri, sed posse eas omnes accipere, dummodo tamen non sint immoderate. Sic Abbas, Siluester, *supra citati*. Si autem sermo sit de iudice delegato cuiuscunque alterius ordinarij, tunc Glossa, *in cap. Statutum, citato*, generaliter, & indistinctè ait, eum non habere ius petendi expensas, sed melius Siluester, & Angelus ex Panormitano distinguunt, si sit delegatus ad vniuersitatem casuum, vt sunt communiter vicarij Episcoporum, non habet ius petendi expensas; quia huiusmodi iudex æquiparatur iudici ordinario: si verò sit delegatus ad specialem causam, potest petere expensas, dummodo bona fide, & non fraude petat eas. Si sermo sit de seculari iudice, tunc siue sit ordinarius, siue delegatus, habet ius petendi expensas, sic Panormitanus, Siluester, & Angelus, & ratio est, quia hoc non est illi prohibitum aliquo iure positiuo, nec naturali.

Quantum ad xenia, hoc est, esculenta, & poculenta communis est sententia, vt constat ex Glossa, Panormitano, Siluestro, & Angelo *locis supra citatis*, ea posse accipere sibi data quemcunque iudicem, siue secularem, siue Ecclesiasticum, siue ordinarium, siue delegatum: huiusmodi enim non sunt prohibita iure aliquo positiuo. Immo in iure ipso solent excipi. Et ratio, ob quam non sunt in iure prohibita, est, quia hæc communiter dati solent in parua quantitate, & quæ intra paucos dies consumuntur, & quia communiter non solent animam iudicis corrumpere, vt iniquè iudicet.

Dubium secundum, An, si quid accipiat iudex pro sententia iniusta ferenda, illud restituere teneatur? Hoc dubium dissoluitur in tract. *De restitut. in communi par. 2. cap. 2. dub. 3. Et 4.*

Dubium tertium, An possit iudex reo pœnam relaxare in totum, vel ex parte? Respondetur ex S. Thoma. 2. 2. *quæst. 67. art. 4.* si sermo sit de iudice inferiori, non potest relaxare pœnam à lege, vel Principe constitutam. Si verò sermo sit de iudice supremo, qualis est Princeps, tunc potest, prout expedire iudicauerit bono communi. Si Pœna sit vel sisco applicanda vel publica tantum punitio delicti, non tamen potest si pœna pertineat ad debitam compensationem partis læsæ, vt offensæ, lege. Sotum *lib. 5. De Iustitia, quæst. 4. art. 4.*

Ergo notandum est, aliquando auctoritate Principis, vel Reip. pœnas pecuniarias, ad quas rei condemnati solent empras esse ab aliquo priuato, & tunc etiam Princeps non potest illas pœnas relaxare; quia faceret Princeps contra ius, quod empiror. pœnarum acquisitum haberet.

Item, si sermo sit de pœnis pecuniarijs, ad quas reus competentem reddat satisfactionem partis læsæ, vel offensæ, tunc etiam Princeps huiusmodi pœnam relaxare non potest ex iure, quia faceret præiudicium parti læsæ, vel offensæ.

Item videndum est, an ex relaxatione pœnæ sequatur directè, vel per consequentiam aliquid damni in Republica, vel in parte offensæ, siue læsæ: tunc enim etiam Princeps non habet ius relaxandi pœnam; quia esset in præiudicium boni communis, vel partis offensæ.

Dubium quartum, An si iudex negligat condemnare delinquentem ad pœnam, teneatur in conscientia illam pœnam soluere, vel aliquam restitutionem facere? S. Thomas 2. 2. *quæst. 67. art. 4. ad 3.* licet obscure loquatur, videtur insinuare, ad id esse obligatum. Sic etiam obscure loquitur Sotus, *lib. 5. de Iustitia, quæst. 4. art. 4. ad 3.* & Siluester, *verbo Iudex, 1. quæst. 11. vers. 5.* Angelus, *verbo Pœna, num. 18.* Armilla, *verbo Iudex, num. 34.* aperte dicunt esse obligatum.

Sed in hac re distinguendum est: Quoties pœna est instituta à legibus, & est corporalis propter punitionem publicam, tunc iudex non condemnando reum ad illam, non teneatur soluere illam in conscientia. V. g. si sit pœna

verberum, vel alia quæcunque pœna corporalis.

At verò quotiescunque ex tali omissione sequitur damnum in Republica, nimirum, quod audaciores fiat delinquentes ad peccandum, & occasionem arripiunt vexandi, vel opprimendi aliquem, ita vt vexent, opprimant, infestent aliquos innocentes, tunc iudex ex tali omissione teneatur in conscientia ea damna restituere.

Item, si pœna sit pecuniaria, & sit applicata alicui vel per leges, vel per Principem, vel ex priuilegio, vel ex contractu emptionis, & venditionis: tunc iudex contra officium suum non condemnans reum ad illam pœnam soluendam, teneatur in conscientia soluere ipse, quia facit iniustitiã alteri, impediendo eum, ne consequatur ius suum, quod habet ad pœnam. Vltimò, causa deducta ad iudicem, & parte petente, sibi applicati pœnam pecuniariam, tanquam sibi debitam: tunc iudex, si omittat condemnare reum ad illam pœnam soluendam, teneatur in conscientia eam soluere, quia facit contra officium suum, impediendo alium, ne allequatur suum ius.

Dubium quintum, Ex qua culpa teneatur iudex ad restitutionem ex eo, quod suum officium vel negligenter, vel ignoranter facit: ex qua negligentia, vel ignorantia damna subsequuntur in alijs? Respondetur eum teneri ex lata culpa, & leui, non tamen ex leuissima, sicut etiam teneatur ceteri, qui ex obligatione aliquod officium exercent: de qua re diximus in restitutione in communi, *part. 1. dub. 2.*

De dubijs, quæ contingunt ex parte reorum in iudicio.

CAPVT XXIV.

DVBIUM, An reus detentus in carcere tanquam in custodia, & damnatus ad aliquam pœnam, possit licitè fugere? Respondetur, si reus est iniuste damnatus, potest fugere, & in hoc omnes conveniunt; quia iniquè detinetur in carcere. Item, si reus est detentus in carcere tanquam custodia, quantumuis legitimè condemnatus ad aliquam pœnam soluendam, potest licitè fugere, quoadcunque ostium carceris est apertum; quia tunc non est damnatus ad carcerem tanquam ad pœnam, sed detinetur in carcere tanquam in custodia. Et iudicium & aliorum officialium est illum diligenter custodire, ne fugiat.

Si quæras, Quid, si damnatus sit ad aliquam pœnam pecuniariam soluendam, aut ad aliquam pœnam corporis subundam, an teneatur huiusmodi pœnas subire etiam post fugam ex carcere? Respondetur, si pœna est pecuniaria, eam soluere teneatur, si iam erat ad eam condemnatus; secus verò, si nondum erat criminis condemnatus, propter quod pœna erat soluenda. At verò, si pœna erat corporalis, quam per seipsum sustinere, & subire tenebatur, & iam erat condemnatus ad eam, eam debet sustinere, & subire etiam post fugam, vt est pœna exilij. Secus verò, si fugit ex carcere ante condemnationem criminis.

Si verò pœna est corporalis, quam nemo sibi infligit, sed iniectam ab alio sustinet, tunc siue post condemnationem criminis, siue ante condemnationem fugerit, non teneatur eam sibi infligere, qualis est pœna verberum, siue membri amputationis.

Dubium secundum, An reus damnatus ad carcerem tanquam ad pœnam in perpetuum, vel ad tempus, licitè possit fugere ex carcere? Notandum est carcerem esse institutum, tanquam pœnam, & custodiam delinquentium: nam sicut reum potest damni ad pœnam exilij, & olim damnabatur ad metalla, & hodie ad triremes, sic etiam potest reus damnari, vt in perpetuum, vel ad tempus in carcere maneat, vt in eo debitas sui delicti pœnas luat.

Sic, olim Clerici ob certa delicta detrudebantur in arcum monasterium, ut ibi congruam poenitentiam agerent. Aliud igitur est de reo, quando detinetur in carcere tanquam in custodia; aliud vero quando detinetur in eo tanquam in loco debito poenae. In praecedenti dubio diximus de reo, ut habet carcerem tanquam custodiam; nunc vero quaerimus de reo, ut habet carcerem tanquam poenam sui delicti.

Secundo est notandum, inter doctores esse multos, quos citat Covarruias, *lib. 1. variarum resolut. cap. 2. nu. 10.* qui generaliter, & indistincte docent, reum non posse licite fugere ex carcere. Sic etiam Angelus *in verbo Fugere, num. 1.* Et probant; quia reus damnatus est ad carcerem, & poena est iusta; ergo tenetur sustinere eam poenam: sicut si damnaretur ad exilium iustè, teneretur ite in exilium, & in eo manere. Quod si damnatus est ad aliam poenam, & detinetur in carcere, eo ipso consequenter damnatur, ut in carcere maneat interitum dum poena executioni non mandatur. Alij tamen Doctores generaliter etiam, & indistinctè tradunt reum posse licite fugere ex carcere. Sic Caiet. *2. 2. quæst. 69. art. 3.* Henricus *Quodlib. 9. quæst. 25.* Sotus, *lib. 3. de iustitia, quæst. 6. art. 4.* Maior. *in 4. dist. 15. quæst. 22.* Silvester. *in verbo Fugere, num. 1.* Covar. *lib. 1. variar. resolut. cap. 2. num. 11.* Et huius sententiae videtur esse S. Thomas *2. 2. quæst. 69. art. 3.* Certè in hac re videtur esse distinguendum. Si reuera damnatur ad carcerem tanquam ad poenam perpetuam, vel temporariam, non videtur esse ei licitum fugere; quia poena est iusta, & tenetur eam restituere; sicut etiam tenetur exilium subire, quando exilio damnatur. Sic videtur sentire, Caiet. *22. quæst. 60. art. 4.* Covarr. *lib. 1. variar. resolut. cap. 2. num. 14.* Si verò damnatur ad carcerem, tanquam ad custodiam, tunc licitum est ei fugere; quia iudicis, & officialium est cum diligenter custodire; sed quia carcer nunquam videtur esse poena alicuius malefactoris, quin etiam simul sit custodia; idè indistinctè, & absolute dici potest cuiusque in carcere detento licitum esse fugere: nam locus certus malefactori datur, ut exilium, & poena, tunc non solent adhiberi custodes ad custodiendum eum, ut est poena exilij, & tunc non est licitum eum locum, & poenam subterfugere. At verò cum publici custodes adhibeantur, tunc videtur esse licitum fugere; quia custodum est diligenter custodire, ne fugiat.

Dubium tertium, Vtrum reus licite possit fugere ex carcere, cum probabiliter credit detinendum subsequaturum in custode, nimirum custodem esse puniendum tanquam negligentem, & tanquam confesum, & confortem fugæ, vel cum videt alios delinquentes etiam ex carcere fugituros?

Dux sunt opiniones, Prima asserit in hoc casu non esse reo licitam fugam; quia nemo habet ius consolendi suo bono cum alterius. V. g. fugit quispiam, ut mortem euadat, non potest licite puerulum in via occurrentem equi cursu interficere.

Item mater prægnans non potest licite procurare sanguinis emissionem cum periculo foetus, cui debitus cubus subtrahitur. Sic sentit Maior *in 4. distinct. 15. quæst. 22.*

Secunda opinio ait etiam in hoc casu licitum esse reo fugere ex carcere. Sic Caietanus, Sotus, & Covarruias *locus supra citatus.* Et probant; quia reus tunc iure suo vitatur, quod si damnatum sequitur in custode, sequitur per accidens, nec est intentum à reo, nec obligatur reus ad evitandum illud damnatum, & custos sibi imputet, qui finit, ut reus tempus, & locum habeat fugiendi. Immo huiusmodi custodum officium solet habere annexa huiusmodi pericula, & damna.

Hæc opinio est multo verior, quam prima, propter rationes eius, & secus, & aliud est de exemplis propositis in argumento: nam equo fugiens tenetur alio divertere, ne puerulum inter currendum occidat, & de femina prægnante sunt opiniones inter Doctores: de qua re nos dixi-

mus in quinto præcepto Decalogi.

Dubium quartum, an reo iustè condemnato ad poenam corporalem licitum sit ad fugiendum ex carcere, effringere, siue carceris parietes perforare.

Dux sunt opiniones, Prima docet esse licitum. Sic Caietanus, Sotus *locus supra citatus*, Atmilla, *in verbo Carcer. num. 3.* Tabien. *cod. verb. num. 1.* Et probant quia reus, ut diximus, habet ius fugiendi, & consequenter cum aliter non possit fugere, nisi rumpat vincula, & carcerem effingat, licitum est illi hoc facere. Si obijcias, in rumpendis vinculis, & effringendo carcerem, iniuriam facit Republicæ, siue iustitiæ; contra hoc est argumentum Caietani, & Soti; quia nullius iniuriæ sunt capaces muri, & parietes, & vincula.

Item, si reus damnaretur ad bestias, ut olim damnati solebant delinquentes; licite possit belluas interimere, ut mortem euadere, & damnatus ad ignem, licite, si possit, ignem extinguere.

Item, durum est admodum asserere, non posse reum fines quibus manus eius alligantur, disrumpere.

Secunda opinio asserit non esse licitum hæc facere, & tamen licitum esse fugere. Sic Henricus, *Quodlib. 9. quæst. 25. & 26.* Hanc opinionem sequuntur, Silvester, & Angelus, *in verbo Fugere, num. 1.* & Maior, *in 4. distinct. 15. quæst. 22.* & Covarruias, *lib. 1. var. resolut. cap. 2. num. 13.* Et probant, quia in his faciendis fit iniuria ipsis iustitiæ ministris: nam eis fit iniuria non quidem in suis personis, sed in rebus ad iustitiam pertinentibus, qualis est carcer, parietes, & vincula.

Item, licet quis possit iure fugere; non tamen habet ius concalcandi segetes alienas inter fugiendum, neque habet ius perforandi domum alienam, vel deiciendi tegulas inter fugiendum.

Item, in iure civili poena capitis infligitur reis, sic fugientibus. *l. 1. & 2. ff. De effraCTORIBUS, & l. milites, & l. Eius. ff. De re militari, & l. In eos. ff. De custodia reorum.*

In hac re certum est apud omnes, si quis reus sit iniuste condemnatus ad mortem, cum habere ius vincula rumpendi, & effringendi carcerem, quoniam ibi iniuste detinetur.

Secundo, certum etiam est apud omnes, reum esse obligatum in conscientia ad resarciendum damnatum, si quod fecit, perforando carcerem, etiam si habuerit ius fugiendi, quia damnatum illud tenetur resarcire, non ratione iniuste læsionis, aut ratione peccati, sed solè ratione damni illati.

Item certum est apud omnes, reum non habere ius fugiendi inferendo iniuriam custodi carceri, vel alicui alteri officiali, vel ministro iustitiæ; quia bellum non potest esse iustum ex utraque parte: sed custos, & minister iustitiæ habeant ius detinendi reum, & impediendi, ne fugiat: ergo reus non habet ius inferendi ei vim, aut iniuriam.

Tota igitur difficultas in eo consistit, an reus iniuste damnatus ad poenam corporalem, habeat ius perforandi carcerem, nullam iniuriam irrogandi custodi carceris. In qua difficultate licet utraque opinio sit probabilis, probabilior tamen mihi videtur opinio prima Caietani, & Soti: quia ius carceris non videtur ad amittere reo ius fugiendi, & effringendi carcerem, quoniam ex ipsa institutione carcerum ad custodiendum reorum, solum videtur consequi ius, ut delinquentes nullam iniuriam inferant custodibus, & custodes videntur tacite officium assumere cum periculo & damno, ut sciant carceres interdum esse effringendos à reo.

Item, videtur inter custodem, & reum esse veluti quædam tacita conditio, ut reus si carcerem perforerit, poena capita libi subijciatur, & custos subeat hoc periculum, & damnatum, ut carcer possit effringi, ita ut custos teneatur carcerem bene munitum diligenter custodire.

Sequitur ex dictis, licite posse reum clavi uti adulterina ad appetendum ostium carceris ad fugiendum. Non enim est tanta iniuria, uti clavi adulterina, quam

parie-

parietes perfodere, & carcerem effringere? Respondetur, autem ad argumenta secundæ opinionis, fugientem non habere ius conculeandi fegetes, vel perfodiendi domum alterius, si aliter possit fugere: si minus, factus est, ut resarciat damna illata proximo. Ad leges civiles, quas produxit, respondet Sotus, esse fundatas in præsumptione: unde in foro conscientie non habere eas vim obligandi; ius enim præsumit in effractoribus carceris culpam.

Sed mihi magis placet, eas leges esse iustas, & habere vim obligandi in conscientia post sententiam iudicis. Existimo enim eas leges esse insituras tacita quadam conventionione habita inter reos, & conditores legum, ut reus penæ capitali se subiciat, si tanquam effractor carceris capiatur, & condemnetur, alioqui absque culpa possit carcerem perfingere cum periculo subeundi penam.

Dubium quintum, An alij licitum sit iuvare reum in fugiendo, & in frangendo carcere. V. g. An amicis, vel cognatis licitum sit consilium reo, ut fugiat, & instrumenta ei præbere ad carcerem effringendum.

Tres sunt opiniones, Prima asserit, vitumque esse licitum, & fugam consilium, & instrumenta portigere. Sic Caiet. Atmi. & Tabien. locis supra citatis.

Secunda opinio ait, esse licitum consilium fugam, non tamen instrumenta subministrare ad effractionem carceris. Sic Sotus loco citato.

Tertia opinio, ait neutrum esse licitum, nec fugam consilium, nec instrumenta præstare. Sic Henricus. Ang. & Siluest. supra citati.

In hac re primo certum est apud omnes, si sermo sit de officialibus, aut ministris iustitiæ, nullo modo esse licitum eis reo vel fugam consilium, vel instrumenta præbere quia facerent contra officium suum, quo tenentur diligenter custodire reos in carcerem detentos. Difficultas igitur nota est, si sermo sit de alijs, ut puta, amicis, vel propinquis reorum. In quo probabile admodum est, quod docet prima opinio Caietani. Nam illa distinctio Soti non videtur facere ad rem, cum ait, licitum esse mihi consilium reo fugam, non tamen instrumenta conferre, quibus carcerem effringat: nam sicut est mihi licitum consilium fugam, quoniam ipse habet ius fugiendi, & ego consulendo solum cooperor in eo, ad quod ipse ius habet: sic etiam ipse habet ius effringendi carcerem. Cur ergo non erit mihi licitum instrumenta præbere ad id, si quidem solum cooperor in eo in quo ipse habet ius?

Item, quoniam ipse habet ius fugiendi, possum ei sua dere fugam: cur ergo non potero illi præbere equum ad fugiendum? Similiter etiam ipse habet ius effringendi carcerem, ergo sicut possum ei consilium, ut effringat, sic possum subministrare instrumentum ad effringendam.

Quare, vel dicendum est, quod dicit tertia opinio, nec esse licitum consilium fugam, nec instrumenta præbere ad fugam, nec effractionem carceris, quoniam reus non habet ius effringendi carcerem, aut si reuera habet ius, ut probabilis esse diximus, dicendum est consequenter esse licitum conferre instrumenta ad perfringendum carcerem, sicut, fateente Soto, licitum est consilium, ut carcerem effringat.

Si quæras, an lege humana possit prohiberi, ne reus carcerem effringat? Respondetur, quamvis ex iure naturali id prohiberi non sit, iure tamen humano potest prohiberi: quia potest reus condemnari ad huiusmodi penam, ne carcerem effringat: quo iure constituto, consequenter erit cæteris prohibitum instrumenta ei præbere ad carcerem effringendam.

Si secundo quæras, an possit lex humana præcipere, ne reus fugiat ex carcere? Respondetur, si reus condemnetur ad carcerem tanquam ad penam, poterit præcipere, ne fugiat.

Item, sicut iuste potest damnari ad mortem reus, sic etiam potest damnari, ut fame pereat, & a cibo absteat:

similiter etiam poterit damnari, ut in carcere maneat, & ne fugiat.

Dubium sextum, An sit licitum reo, iuste damnato ad penam corporalem, corrumpere pecunia, vel aliquo alio dono custodem carceris, ut penam evadat? Respondet Glossa in cap. Inter cætera, 22. quasi. 4. esse licitum. Sic etiam Angelus, In verbo Fugere, num. 1. Probat, quia reus habet ius conservandi suam vitam, ergo pecunia, vel munere corrupendo custodem, non peccat, quia redemit suæ vitæ periculum pecunia.

Quod si objicias, Huiusmodi redemptio non est redemptio iniuste vexationis, quia supponimus reum iuste in carcere custodiri; Respondetur, non esse redemptioem iniuste vexationis, sed reum redimere periculum vitæ suæ pecunijs, vel muneribus.

Si secundo objicias, Damnum, & iniuriam inferri custodi carceris; Respondetur, scienti, & volenti non fit iniuria, & custos carceris sibi imputet, qui sciens ac volens sinit se corrumpi.

Si tertio dicas, custos carceris peccat in periculo, ut reus fugiat, ergo reus peccat cooperando cum eo in peccato: nam petit ab eo aliquid, quod custos carceris non potest bene facere; Respondetur, si reus directo petat, ut custos sinat ipsum fugere, peccabit: sic etiam si offerat pecuniam, vel munus directo ad fugiendum ex facultate custodis, peccabit, quia sic petendo, vel offerendo, cooperatur peccato custodis.

At verò, si tantum pecuniam, vel munus offerat callide, & astute, ut conciliet sibi benevolentiam custodis, & hac ratione viam sibi muniat ad fugiendum, tunc non peccat, quia suo iure vitæ, ut custos sibi consilium debet: nam sic pecuniam, vel munus offerit, non est directo petere a custode aliquid ad fugiendum, sicut si peterem mutuum ad vitas, peccarem; quia peto ab altero, quod bene fieri non potest: si tamen petam simpliciter mutuum non peccabo, quamvis sciam alterum non mutuaturum mihi, nisi ad vitas; quia peto aliquid, quod bene fieri potest, si alius velit.

Dubium septimum, An licitum sit reo decipere custodem carceris absque vi, & iniuria illi illata, nimirum cibum, & potum præbendo, ut dormiat, vel aliqua arte vitando, ut tantisper absens sit, & reus tempus, & opportunitatem sibi acquirat ad fugiendam? Respondetur, certum esse nullam vim esse inferendam custodi carceris. Item nullam fraudem esse ita componendam, ut per eam ignorantia sit in custode: nam tunc custos pateretur damnum non volens, quia ignorans: si tamen ita artificiose insidias componatur, ut custos facile possit (si velit advertere) nosse artificium, & insidias, tunc non est peccatum in reo ut huiusmodi insidijs, dummodo non sit mendacium in verbis, sed verba, nutus, signa, & facta sint æquivoca. Nam in huiusmodi casu reus eo ipso, quod habet ius conservandi suam vitam, habet ius vitandi verbis, signis, nutibus, vel factis ambiguis, & custos sibi imputet, si ex negligentia, vel impetitia huiusmodi insidijs decipiatur.

Dubium novum, An reus iuste damnatus, ut fame pereat, possit edere cibum sibi ministratum, & an is, qui cibum ei subministrat, peccet? De hoc dubio tractavimus in quinto præcepto Decalogi.

Dubium decimum, An reus damnatus ad mortem, nactus occasionem fugiendi ex carcere, fugere teneatur, ne mortem indirecto sibi videatur inferre. Hoc etiam dubium resolvimus in quinto præcepto Decalogi.

Quando reus in iudicio legitime interrogatur, ita
ut respondere veritatem faten-
do teneatur.

CAPVT XXV.

DUBIUM, An reus si iurauerit custodi carceris, vel
iudici se reditum ad carcerem, redire teneatur,
etiam si sit condemnatus ad mortem?

Sunt duæ opiniones, Prima assentit esse licitum redire,
siue iuste, siue iniuste sit condemnatus ad mortem: & cum
sit licitum redire, ut iuramentum impleatur, eo ipso redire
obligatur. Sic Caietanus, 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. &
Nauarrus in *Manuali*, cap. 12. num. 18. Romanus in *l. Sti-
pulationibus ff. De verb. obligat.* & probant, quia omne
iuramentum eo ipso, quod est licitum, est obligatorium.
Quod autem in predicto casu licitum sit implere iuramen-
tum, probant, quia licitum est sustinere mortem, siue iuste,
siue iniuste illata sit ab alio.

Secunda opinio assentit, reum in eo casu non esse obli-
gatum ad redeundum in carcerem, immò peccate, si re-
deat. Sic Glossa in *Clemen. Pastoralis, de senten. & re iud.*
Glossam communiter sequuntur Andreas, Abbas, Hip-
polytus, Ancharanus, quod citat Couarruuias, lib. 1. *var-
riar. resolut. cap. 2. num. 7.* Sic etiam maior in 4. *distinct.*
15. quæst. 22. Siluester, in *verbo iuramentum*, 4. quæst. 24.
& *verbo Accusatio quæst. ult.* & Angelus, *verbo iura-
mentum*, num. 27. Tabiena, in *verbo iurare. quæst. 10.*
dubitatione 3. & probant, quia vniuersique tenent suam
propriam vitam tueri: sed in predicto casu scit se mortu-
rum iniuste, si redeat ad carcerem, ergo ipsi imputabitur
mors sui ipsius, quia sine causa iusta facit aliquid, ad quod
sequitur mors ipsius.

Ad hoc dubium dicendum est, Primò quotiescunque
carcer est iniustus, non potest licite redire: per carcerem
iniuriosum intelligitur, quando carcer est iudicis non
competentis, siue tyranni, vel quando est iudicis quidem
competentis, procedentis tamen contra ordinem iuris, &
hoc sensu loquitur secunda opinio, & est vera. Quod si
Caietanus in hoc sensu intelligat, loquitur improbabili-
ter.

Secundò, si reus secundum rei veritatem est innocens,
at verò secundum allegata, & probata in iudicio est con-
uictus, ut reus, tunc licite redit ad carcerem, & in hoc sen-
su loqui videtur Caietanus, cum ait, siue iuste, siue iniuste
damnetur ad mortem, tenetur ad redeundum. Per inius-
tam sententiam intellexisse videtur Caietanus, non qua-
tenus fertur sententia secundum allegata, & probata, sed
quatenus fertur contra innocentem. Sic enim dicimus,
quempiam absque culpa condemnari, non tamen sine
causa: & in hoc sensu probatur, quia licitum est innocen-
ti, secundum allegata tamen, & probata conuicti, pati,
& sustinere mortem, cum mors inferatur à iudice com-
petenti, & seruato ordine iuris. Item licitum est inno-
centi, hoc modo conuicti non tueri se ipsum, quia in
omittenda sui defensione non cooperatur ad mortem
sui ipsius, siquidem iustam habet causam mortem susti-
nendi.

Dubium secundum, An reus condemnatus ad mor-
tem possit omittere allegationes, appellationes, recusatio-
nes, exceptiones ad sui defensionem? De hac re agit Co-
uarruuias, in *Epitome in 4. De matrimonio, par. 2. §. 8. nu-
15. & sequen.*

Sed breuiter respondetur iuxta distinctionem prædi-
ctam, si reuera iniuriosa est condemnatio ad mortem, non
potest licite omittere huiusmodi iustas sui defensiones;
quia sine iusta causa sineret se occidi. Si tamen condem-
natio sit secundum allegata, & probata, tunc etiam si reue-
ra sit innocens, potest omittere supradictas sui defensio-

nes; quia non sinit se occidi absque iusta causa, licet absque
culpa.

Dubium tertium, Quando reus interrogatus à iudice
teneatur veritatem confiteri, etiam si condemnandus sit
ad mortem? Respondetur, ex communi sententia, cum
teneri ad veritatem confitentiam quotiescunque à iudi-
ce, seruato ordine iuris, legitime interrogatur. Verum tota
difficultas est, quando legitime interrogatur, & quando
secundum ordinem iuris. Ad hoc responderet S. Thomas
2. 2. quæst. 69. art. 2. in ipso articulo communiter receptus,
ut ait Nauarrus in *Manuali*, cap. 25. num. 26. proponendo
hanc regulam generalem, tunc legitime reum interrogari
à iudice, quando est infamia contra reum, vel indicia ius-
sufficientia, ut ait Nauarrus loco citato. Intelligitur vnum
indicium idoneum, & graue, vel plura illi æquipollentia,
ut sinit Bartolus *l. fin. ff. De quæstionibus, num. 7.* Semi-
plena probatio est vnus testis omni exceptione maior, id
est, contra quem reus nihil possit excipere: quia sit testis
omnes habens conditiones, quæ secundum ius requirun-
tur? ad hoc, ut testis sit idoneus. Si igitur aliquid istorum
sit, & in processum contra reum confiteri, & notificatum
sit ipsi reo, tunc tenetur reus interrogatus à iudice verita-
tem confiteri. Sed quia ista regula est generalis, eget ma-
iori declaratione.

Notandum igitur est, quando in iudicio iudex in cau-
sis criminalibus procedat per accusationem, instante, &
petente accusatore.

Primò iudici constare debet de delicto, vnde statim
per se, vel per internuncios suos curat certior fieri de de-
licto: nunquam enim iudex in aliquo crimine potest pro-
cedere contra reum, nisi prius ipsi constiterit de delicto
facto: mox certior factus de delicto: testes recipit, quos
accusator nominauit, & subministravit: deinde si tres,
vel duo testes: contra reum deposuerint, sit plena proba-
tio, quæ sufficit ad condemnationem malefactoris. Si ve-
rò vnus tantum testis omni exceptione maior deposuerit
contra reum, sit semiplena probatio, quæ non sufficit ad
interrogandum, & examinandum reum etiam per tortu-
ram. Vnde cum per accusationem procedat iudex, plene
probato, vel semiprobo crimine, reus interrogatus tene-
tur veritatem confiteri.

Secundò notandum est, in iudicio aliquando procedi
non instante accusatore, existente tamen aliquo in locum
accusatoris, puta, quando crimen est notorium, & simul
etiam notorius est malefactor: tunc notorium non solum
aperit iudici viam ad inquirendum, hoc est, ad testes, &
informationes allumendas contra reum, sed etiam facti,
ut possit iudex procedere, vsque ad executionem, ut ait Iul.
Clarus, lib. 5. *Receptarum sententiarum, in præctica cri-
minali, quæst. 9. nu. 1.* ex communi sententia: tunc enim,
quæ euidencia criminis, & malefactoris est loco accusato-
ris, ut constat ex *cap. Euidencia, de simonia*, iudex statim
allumit testes: qui si tres, vel duo fuerint, sit plena
probatio, & executioni mandatur sententia iudicis contra
reum.

Tertiò, quando reus est deprehensus in flagranti de-
licto, tunc etiam huiusmodi deprehensi aperit viam iudi-
ci, ut inquirat, id est, testes, & informationes recipiat con-
tra reum, quibus præcedentibus, examinatur, & interro-
gatur legitime reus.

Quartò, per querelam, ab aliquo iudici portectam
procedit iudex contra reum dupliciter, ut dicimus supra
in *cap. 22.* Vno modo per querelam habentem locum
accusationis, & statim iudex informationes, & testes allu-
mit nominatos ab eo, qui querelam portexit, quibus proba-
tionibus, præcedentibus legitime examinatur, & interro-
gatur reus. Aliquando verò querela non est loco accusa-
tionis, sed aperit, ac munit viam iudici, ut ipse ex officio
suo inquirat contra reum, id est, informationes, & testes
recipiat, quos in crimine informatos inuenit, quibus
deponentibus contra reum, tunc legitime reus interroga-
tur, & examinatur.

Quin-

Quinto, quando in iudicio proceditur per inquisitionem, tunc si diffamatio est contra Titium reum, iudex legitime ex officio suo certior factus de crimine, & de fama, contra Titium, informationes, & testes assumit: quibus assumptis legitime examinatur reus.

Ceterum sunt aliqui casus, in quibus iudex etiam sine ulla infamia præcedente contra reum, inquit ex officio suo, informationes, & testes accipiendo: de quibus casibus diximus, *supra*, cap. 17.

Sexto, quando proceditur in iudicio per denuntiationem, de qua diximus *supra* cap. 21. tunc iudex ex officio suo inquit contra reum, assumendo informationes, & testes productos à denuntiatore, vel quos ipse iudex ex suo officio inquirendo informatos inuenit: quibus assumptis, legitime interrogatur, & examinatur reus.

Dubium quartum, Quid, si reus legitime interrogatus à iudice, neget veritatem, an teneatur in conscientia ad penam, ad quam damnaretur, si fuisset veritatem confessus? V. g. Titius legitime interrogatur super hæresi, & negat se fuisse hæreticum; & propter hoc non confiscatur eius bona, an in conscientia teneatur ea bona fisco reddere, quia alioqui fuissent confiscata, si esset confessus.

Sunt duæ opinioniones, Prima est Soti, *lib. 2. De Iustitia, quest. 6. art. 6. concl. 4. ad finem*, hunc esse obligatum in conscientia, eam penam solvete; quia contra iustitiam negavit veritatem, & consequenter contra iustitiam impedivit, ne fisco ea bona consequeretur: at is, qui impedit alium contra iustitiam, ne consequatur suum ius, teneatur ad restitutionem.

Secunda opinio asserit, non esse obligatum in conscientia ad restitutionem, sic Nauarrus *in Manuali, cap. 18. num. 49.* & probat: quia ad penam reus non tenetur, nisi post condemnationem iudicis. Item, quia alioqui teneretur ite in exilium, si pena esset exilii.

Ad hoc dubium respondetur, distinguendo, si pena sit corporis, tunc reus non tenetur eam solvere in conscientia; quia reus non tenetur esse executor huiusmodi pœnarum: tales sunt amputatio membri, pœna verberum, vel auxilij. Si verò pœna sit solum pecuniaria, tunc etiam distinguendum est. Nam vel sermo est in casu, quo reus negat veritatem, parte denuntiante, vel accusante, vel per querelam petente pœnam ordinariam, constitutam à lege, & per legem sibi applicatam: & tunc reus teneatur in conscientia eam penam solvete; quia fecit contra iustitiam debitam patri; pars enim ius habet ad penam: vel sermo est in casu, quo tractatur de rescindendo contractu, qui per leges rescindi debet, & tunc etiam reus negans veritatem, instantem, & petente parte, tenetur in conscientia postea contractum rescindere; quia contra iustitiam, impedit rescissionem contractus: Vel sermo est de damno, quod non est pœna, & tunc etiam reus negans veritatem ad restituendam damnum. V. g. negavit merces, quas transferebat, vel introducebat, vel vendebat, ex quibus certum vectigal, vel gabellam debebat, teneatur in conscientia illam solvete: Vel sermo est de alijs pœnis extra hos casus, & probabilior est opinio Nauarrus; quia pœna tunc nullam habet rationem damni, siquidem vel nulli est applicata, vel non adest pars petens illam, & pœnam nunquam tenetur reus solvete, nisi condemnatus à iudice.

Dubium quintum, Quid, si reus legitime interrogatus neget veritatem metu mortis, ad quam iuste damnaretur, an confessarius teneatur ei præcipere, vt dictum suum retraheret, quod si nolit, teneatur illum ab absoluteione repellere? Respondetur, confessarium non esse obligatum ad cogendum illum, vt retraheret dictum suum; quia esset cogere reum ad se prodendum, & præsertim, si ex tormentis liber euasit, & est solutus à carcere: est tamen obligatus confessarius monere illum, vt sit animo præparato, & voluntate confitendi veritatem, si iterum rogetur, vt prius, quantumvis sit condemnandus ad mortem; quia quoties legitime rogetur, tenetur dicere veritatem, ergo quando non rogetur, non tenetur se prodere, licet peccauerit de-

negando: debet tamen esse paratus dicere veritatem, quando documque fuerit iterum rogetur: & confessarius admonendo reum de hac re, si reus noluerit hanc voluntatem habere, repellere debet eum ab absoluteione: quia est in voluntate faciendi contra obedientiam, & iustitiam debitam.

Siroges, An confessarius teneatur monere reum de hac re? Respondetur esse obligatum, quia probabiliter credi potest, quod reus, sicut primo, negavit veritatem metu mortis, sit etiam secundo eandem negaturus, quando iterum interrogabitur.

Dubium sextum, An reus, si rogetur, de socijs criminis, possit licite eos prodere, & quando teneatur eos prodere, postquam ipse fuerit de crimine conuictus, & confessus illud, & contra socios nulla sit infamia, nulla indicia, nec probatio? Hoc dubium plene dissoluimus, *supra* cap. 18.

Dubium septimum, An reus conuictus in vno crimine in iudicio, vel confessus illud, possit interrogari à iudice de alijs criminibus à se commissis, de quibus nulla sint indicia, nulla infamia, neque probatio? Hoc etiam dubium resoluimus *supra* cap. citat.

Dubium octauum, An reus negans veritatem, de qua est legitime interrogatus, teneatur ad restitutionem damni, in qua passus est damnum accusator, vel denuntiator, vel is, qui querelam portexit. Ratio dubitandi est quia reus denegando veritatem, dicit indirecto, & per consequentiam accusatorem, vel denuntiatorem fuisse mentisum, & calumniatorem. Hoc dubium dissoluimus *in tractatu de delictis, & restitutione in particulari, cap. 9. dub. 8.*

Dubium nonum, An licitum sit reo contra ius interrogato, seipsum defendere calumniose, & mendaciter? hoc est vtum liceat reo contra ius interrogato, mentiri, vt seipsum tueatur? Respondetur ex communi sententia, non licere mentiri.

Sed difficultas est in duobus, Primo, an si reus interrogetur de crimine omnino occulto, possit licite dicere, se nihil scire de illo crimine.

Secundo, an possit licite dicere, se illud crimen non commisisse? In hoc Sotus, *in lib. De ratione tenendi secretum, memb. 3. quest. 3. concl. 3.* an primum esse licitum: secundum non item. Et probat hæc ratione, quia in iudicio mendacium non est licitum, vt si reus dicat se nihil scire, non mentitur, quia quæ scimus, aliquando scimus; vt dicamus alijs, aliquando, vt non dicamus. Potest igitur reus verè dicere, nihil scio, nimirum, vt dicam tibi, at non est licitum reo dicere, non feci istud crimen, quia quæ sunt non habent hunc ordinem, vt alia fiant ad hoc, vt dicantur, alia, ne dicantur. Non placet mihi hæc sententia, quia abiq; ratione dicitur, esse distinctionem inter scire, & facere, vt scire, dicat illum ordinem, facere verò non dicat. Vnde communis est opinio, vt rectè ait Cardubensis *in Annotationibus super Sotum loco citato*, vtumque esse licitum reo, quia in vtroque est æquiuoca, & ambigua responsio. Et quamuis reo contra ius interrogato, non liceat mentiri, licitum tamen est ambiguo respondere. Vnde istæ negationes: nihil scio, nihil feci, in huiusmodi reo, quantumvis videantur esse negationes generales, quatenus tamen in tali loco coram tali persona, & ad talem interrogationem factæ, possunt accipi restrictè, & non generaliter; quoniam iudex duplicem personam agit, priuata, & publicam: vt priuata est, non potest interrogare reum in iudicio. Rogat igitur, vt publicam personam agens. Quando verò rogat, vt publica, licet videatur interrogare generaliter, interrogatio tamen eius debet accipi strictè iuxta leges; & ita eum rogat iudex præterius, Nosti, vel, Fecisti hoc crimen? intelligitur, Nosti, vel fecisti crimen, quod possit ad hoc iudicium pertinere? Et consequenter non intelligitur iudex interrogare de crimine omnino occulto, & prout de responsio rei, licet videatur esse generalis, non noui, non feci, intelligitur tamen strictè iuxta interrogationem iudicis, nimirum,

non feci, & non noui crimen, quod ad hoc forum, vel iudicium pertineat.

Dubium decimum est de reo in causis civilibus. Finge Titium accepisse mutuo centum à Caio, & restituisse eadem illam pecuniam, & tamen restitutionem non posse Titium in iudicio probare, & conueniri à Caio, exigente ab eo in iudicio solutionem centum: si Titius fateatur eorum iudice se accepisse centum mutuo à Caio, sed totidem restituisse, non damnabitur à iudice, ut iterum restituat totidem: est dubium, an Titius possit in huiusmodi casu iurare nihil se debere Caio, & an possit iurare se nihil mutuo accepisse à Caio? De hoc Covarruias, *lib. variar. resolut. cap. 2. num. 4.* cum quo respondemus posse iurare, se nihil debere, nec accepisse centum mutuo à Caio; quia huiusmodi responsio est strictè accipienda iuxta interrogationem iudicis, & interrogatio iudicis est in sensu, accepisti mutuo centum in Caio, quæ tenearis ei soluere? Et ita responsio accipitur strictè, non accipi mutuo centum, nimirum, quæ teneat soluere. Item, sicut per mutuum contrahitur obligatio, sic per solutionem mutui extinguitur, & cessat obligatio, ergo perinde est, ac si Titius nunquam accepisset mutuo, si iam plene soluit illud. Idem est dicendum, si Titius accepisset mutuo centum, & restituerit tantum quinquaginta. Interrogatus, an mutuo accepisset centum, potest respondendo iurare, se non accepisse mutuo centum. Similiter respondetur ad aliud dubium, quo quaeri solet: Possidet Titius fundum vel domum, & possidet tantum ex parte, & conuincitur in iudicio ab auctore Caio, volente eum peliere à tota possessione,

Si rogetur à iudice, an possideat fundum, potest respondere, se non possidere; quia hæc responsio intelligitur strictè, prout etiam strictè accipi debet interrogatio iudicis. Sic Covar. *loco citato, num. 5.*

*De iudicijs, ex quibus proceditur in iudicio
contra reum.*

CAPVT XXVI.

QUONIAM iudex ius habet inquirendi contra reum, capiendi, citandi, examinandi, & interrogandi, torquendi, condemnandi eum, & in omnibus his procedit iudex ex iudicijs sufficientibus? agendum est in præsentia de iudicijs, et videamus, quæ iudicia sufficiant ad inquirendum contra reum. Item, quæ sufficiant ad capturam, citationem, examinationem, torturam, & condemnationem reorum.

Primo est notandum, postquam constitit iudici de delicto malefactoris, statim eum procedere ad informationes, siue iudicia, siue testes recipiendos contra reum.

Secundo, iudex ad iudicia assumenda contra reum, duobus modis procedit.

Primo, quando crimen est notorium, occultus tamen est reus, procedit iudex inquirendo generaliter, quis crimen commiserit, & interrogat primo eos, quos putat esse confesos, siue informatos de crimine, quod si omnes responderint se nescire, tunc interrogat eos super fama, etiam generaliter interrogando, quis de eo crimine sit diffamatus: & ubi ex ipsis informationibus assumptis resultat suspicio, vel iudicium contra aliquem, tunc incipit specialiter inquirere contra eum. Vnde in hoc modo procedendi generalis inquisitio aperit, & munit viam specialis inquisitioni.

Secundo modo, quando constat de crimine, & certus etiam est de malefactoris, tunc iudex incipit specialiter inquirere contra eum, hoc est, incipit assumere informationes, iudicia, & testes contra reum.

Tertio, iudiciorum tres solent gradus constitui: nam quedam iudicia dicuntur leuia, alia graua, alia grauissi-

ma. Leuia sufficiunt ad capturam reorum, non tamen, ut statim debeat reus examinari, sed, ut præcludatur reo omnis facultas fugiendi. Item, leuia iudicia sufficiunt ad inquirendum contra eum, hoc est, ad hoc, ut iudex ad officio suo assumat informationes, & testes contra reum: & hæc vtraque iudicia dici solent suspensiones contra reum. Graua vero iudicia sunt ea, quæ sufficiunt, vel ad citandum reum, quando absens est, vel si præsens sit, ad examinandum, interrogandum eum. Grauissima verò iudicia dicuntur ea, quæ indubitata sunt, & sufficiunt, & requiruntur ad condemnandum reum.

Quarto, ad inquirendum, id est, ad informationes, & testes recipiendos contra reum, sufficit aliqua probabilis suspicio, qualis est assertio vulnerati, & ex vulnere monentis: item, inimicitia grauis inter duos: item fama contra aliquem: item dictum socii criminis: item, vnus testis, quamuis inhabilis: & hæc eadem iudicia sufficiunt ad capturam reorum. At verò ad citandum aliquem absentem, non sufficiunt prædicta iudicia, sed præter famam etiam requiruntur alia iudicia legitima, & graua: & hoc idem dicendum est de iudicijs, quæ requiruntur ad examinandum, & interrogandum reum. Item, ad torturam requiruntur iudicia graua: ad condemnandum reum, requiruntur grauissima, & indubitata, maxime in delictis occultis, & difficultis probationis. Nam licet inter Doctores sunt opiniones, alijs essentibus, neminem posse condemnari ad penam corporis ex solis iudicijs etiam indubitatis, nisi ad penam pecuniariam, alijs verò assentibus, etiam ad penam corporalem posse aliquem condemnari ex solis iudicijs indubitatis; ut tamen ait Iulius Clarus, *lib. 5. Receptarum sententiarum in præf. criminali, quest. 20. num. 6.* communis est sententia Doctorum, assentium posse condemnari reum ad penam corporis, non quidem mortis, sed verberum, irremiu, vel similem aliam ex solis iudicijs indubitatis. Sed notandum est ex eodem auctore, *num. 7.* aliquos esse casus, in quibus etiam ex iure communi potest quis ad mortem condemnari ex præsumptionibus, ut in assassinis, crimine hæresis, & simoniz.

Dubium, An sola diffamatio contra aliquem sufficiat ad torquendum, vel examinandum, & interrogandum? Respondetur, solam sufficere ad inquirendum contra reum, hoc est, ad hoc, ut iudex ex officio suo assumat informationes, & testes; non autem sufficere ad torquendum, vel examinandum reum, & hoc est ex iure. Vitum verò ex consuetudine sufficiat ad torquendum reum, dubium est: nam, teste Iulio Claro, *lib. citato, quest. 21. num. 1.* multi Doctores aiunt sufficere ex consuetudine. Cæterum, ut ait idem auctor, tutior est opinio eorum, qui asserunt non sufficere, nisi simul cum infamia addit vnus testis, vel aliquod aliud graue iudicium ad torquendum.

Dubium secundum, Vitum vnus testis, sit sufficiens iudicium? Respondetur ex eodem auctore, *quest. 21. num. 7.* Si testis est omni exceptione maior, id est, talis, contra quem nulla possit opponi exceptio, sufficit ad torquendum reum. Si verò sit testis, aliqui ex iure inhabilis, non sufficit ad torquendum, ne ad examinandum, sed ad inquirendum contra reum, id est, ad alias informationes, iudicia, & testes recipiendos.

Dubium tertium, Vitum dictum socii criminis sufficiat ad inquirendum contra reum? Respondetur, non sufficere ad examinandum reum; sufficere tamen ad inquirendum, id est, ad informationes, & testes assumendos contra reum. Item, assertio vulnerati, dicentis se à Titio fuisse vulneratum, si postea conualuerit, perinde est, ac si denuntiasset, vel querelam porrexisset. Et ita sufficit ad assumendas informationes, & testes per inquisitionem contra Titium. Si verò ex vulnere monatur, & vique ad mortem perseveret in huiusmodi assertionem, est sufficiens iudicium ad capiendum Titium.

Si roges, An sit iudicium sufficiens ad torquendum eum? Respondetur, asserere aliquos, sufficere. Sed, ut ait

Iul. Clarus, *q. citata n. 17.* communis opinio est non sufficere hoc in more esse receptum.

Dubium quartum, An fuga delinquentis faciat iudicium sufficiens contra eum, Respondetur, fugam tribus modis opponi contra fugientem.

Primo, ut crimen, puta quando miles in bello aufugias signa, aut militiam deseruit, & tunc probata fuga, dicitur probata in crimine, neq; aliud requiritur ad hoc, ut reus possit ex ipsa fuga condemnari, ut ait Iul. Clarus, *q. citata n. 18.*

Secundo opponitur, fuga tanquam iudicium reum commissio aliquo delicto aufugisse, & a loco ipso delicti se absentem fecisse, & tunc quando tale est crimen, ut ad eius probationem sola sufficiat suspicio, quale est in tutore, *l. impuberibus. ff. De suspecto tutore*, sola fuga sufficit, ut possit ex ea sequi condemnatio. Aut vero tale est crimen, ut ad eius probationem suspensiones non sufficiant, & tunc licet fuerint opinionem inter Doctores, an fuga delinquentis faciat contra eum plenam probationem, an vero semiplenam, magis tamen recepta est sententia eorum qui docent tantum facere semiplenam probationem, & esse sufficiens iudicium ad torturam, ut ait Iulius Clarus, *q. citata n. 20. § 2. 1.* Et hoc intelligitur, de ea fuga, quæ fit ante formatam inquisitionem, vel assumptas informationes. Huiusmodi fuga arguit bonæ fidei delicti commissi. Si vero fuga fit post formatam inquisitionem, vel accusationem, vel denuntiationem in criminibus capitalibus, non sufficit ad torturam, ut ait Iul. Clarus ex communi sententia item; quando ille qui aufugit, postea citatus sponte sua comparet, tunc fuga præcedens nullum facit iudicium contra eum, ut docet teste Iul. Claro communis opinio.

Dubium quintum, An inimicitia vigens inter offensum, & eum qui est delicto suspectus, sit iudicium sufficiens contra suspectum? Respondetur, si orra sit ex causa leui nullam facit iudicium si vero ex causa graui, & capitali, tunc non solum est sufficiens iudicium ad inquirendum, hoc est, ad testes, & informationes assumendas, sed etiam ad capturam, & citationem, non tamen est sufficiens iudicium ad torturam, ut ait Iul. Clarus ex communi sententia, *quæst. citata n. 29.* quamuis dicat aliquos propter solam inimicitiam capitalem suspectos, torqueri solitos esse.

Dubium sextum, An confessio extra iudicium sit sufficiens iudicium contra confitentem ad torturam? Respondetur esse, ut ait Gloss. in *l. Casite. ff. De adulter.* communiter recepta, teste Iul. Clar. *q. citata n. 30.* & idem est dicendum ex eo dem auctore de confessione facta coram iudice incompetenti. V. g. Si constitatur Clericus crimen coram iudice laico, etiam si postea constitutus coram iudice competentii reuocet confessionem factam.

Si quæras, quid si reus constitutus coram iudice competentis tanquam coram priuato homine, non sedenti pro tribunali, nec in forma iudicii iudicanti, an sit iudicium sufficiens ad condemnandum eum? Respondetur ex eodem Iulio, non posse ex ea confessione condemnari, sed torqueri tamen posse.

Dubium septimum, An minæ præcedentes delictum, faciant iudicium sufficiens contra eum, qui minatus est? Respondetur si sint viri potentes, & malæ famæ, qui facile potest minas suas exequi, & eas solitus est executioni mandare, faciunt iudicium sufficiens ad torturam quando solitec ignoratur, quis maleficium commiserit, alias autem minæ non sufficiunt ad torturam.

Dubium octauum, An mendacium delinquentis eum interrogatur a iudice, sit iudicium sufficiens ad torturam? Respondetur in hoc duas esse opiniones inter Doctores, alius asserentibus esse sufficiens, alius vero, negantibus. Sed probabilius est solam variationem inconstantiam in respondendo ad interrogata, non sufficere ad torturam.

Dubium nonum, An sola turbatio, & trepidatio, aut

turbatio cordis sit sufficiens iudicium ad torturam? Respondetur, ex communi opinione, teste Iulio Caro, *q. citata n. 39.* non sufficere, quia multi sunt adeo natura timidi, ut statim ad præsentiam iudicis turbati soleant, & nesciant, quid dicant, cum tamen sint innocentes.

Dubium decimum, An si res furto sublata reperitur penes aliquem sit iudicium sufficiens ad torturam, nisi doceat, a quo habuerit? Respondetur, & ex communi sententia, teste Iulio Cla. *q. citata n. 41.* esse sufficiens iudicium. Intelligitur tamen, quando is, apud quem res furtiua deprehenditur, non est bonæ conditionis, & famæ. Item non intelligitur, si res furtiua reperitur apud aliquem, qui res tales mobiles esset solitus emere, & vendere, & eam rem furtiuam palam teneret, ut ait Iulius Clarus.

Dubium vndecimum, Quid sit breuiter dicendum circa torturam reorum? Respondetur, iudicem considerare debere, ut primum constet de delicto antequam reum in tortura constituat.

Secundo, an delictum tale sit, pro quo reus ex iure sit torturæ subiciendus: nam non est ad torturam procedendum, nisi in criminibus, quibus pena capitalis ex iure infligitur.

Tertio, debet iudex aduertere, an delictum aliter, quam per torturam probari possit non regulariter ad torturam detentur, nisi quando alie probationes deficiunt, & ideo facilius iudex procedere potest ad torturam in delictis etiam commissis, quam in his, quæ palam commissa sunt quia illa priora difficilius probari possunt, ut est venenatio, falsum, adulterium, & similia. Itæ, aliquando iudices torturam adhibent, licet delictum sit plene probatum, etiam per testes de visu non ut amplius de delicto constet, sed solum, ut reus delictum fateatur de quo conuincitur, nec per appellationem sententia, quæ fuerit contra eum pronunciata, suspendatur, hoc licet non sit ex iure, communiter tamen in more esse receptum ait.

Iul. Clarus *lib. cit. q. 64. n. 6.* Item, reus non potest torqueri sine sufficientibus iudiciis ad torturam de quibus iudiciis iam diximus. Si quæras, an reus conuictus, vel confessus, vel condemnatus possit examinari, & interrogari per torturam de aliis factis, vel de aliis propriis criminibus? Respondetur, huius dubii solutionem colligi ex his, quæ diximus *supra cap. 18.*

Item, aduertere debet iudex, non solum requiri iudicia sufficientia ad torturam, sed etiam opus esse, ut illa iudicia sint legitime probata. Item, iudex non potest reum tormentis subicere, qui iure prohibitus est torqueri. Iure autem torqueri non possunt Doctores, quamuis alicubi ex consuetudine torqueantur. Item persone in dignitate constitutæ, ex iure tormentis non subiciuntur. Sic etiam duces militum, & nobiles, & decuriones ciuitatum quamuis isti etiam ex consuetudine alicubi torqueantur. Sic etiam minores, ante decimum quartum annum, & senes in ætate decrepita constituti, & mulieres prægnantes, aut lactantes.

Si vero quæras, an clericus possit ex iure torqueri? Respondetur posse, etiam si sint presbyteri, ut docet Iulius Clarus, ex communi sententia, *quæst. 64. n. 6.* Et possunt torqueri ministri laici, ex mandato Episcopi. Item reus torturæ subiectus, si nihil fateatur, tunc dicitur pugnasse iudicia contra se existentia. Item, si reus in tormentis delictum confiteatur, non potest condemnari, nisi eam confessionem extra tormenta, & metum tormentorum ratam habeat, post tempus aliquod elapsum, nempe diem vnum, aut saltem post aliquot dies horas. Quod si reus confessionem, in tormentis factam confirmauerit, tunc iudex debet ei constituere aliquem breuem terminum, nimirum trium, vel duorum dierum ad allegandas omnes suas defensiones, quas facere intendit.

Si quæras, quid, si reus confessus in tormentis postea ductus ad confessionem in tormentis factam

confirmandam, neget se delictum commisisse, an possit iterum torqueri? Respondetur posse perinde, ac si nouum aliud indicium accessisset sufficiens ad torturam? Sed non est torquendus in infinitum, sed torqueri potest, vt que ad tertiam torturam, in qua si fateatur, & postea denegat, non videtur condemnandus. Sic Iulius Clarus *qu. 21. num. 25.*

Si secundo quæras, in quibus casibus tortura semel illata, possit iterari? Respondetur, si reus sit tantum leuiter tortus, potest de nouo torqueri, donec sufficiens sit tortura, at vero semel tortus sufficienter, non potest ex iure iterum torqueri, nisi noua indicia ad torturam, sufficientia superueniant: ex communi opinione docet Iulius Clarus, *questio. 64. num. 51.*

Vltimo, reus sponte delictum confessus, iure debet condemnari. Item, reus crimine conuictus plena probatione testium, iure etiam debet condemnari.

De peccatis ex parte testium in iudicio.

CAPVT XXVII.

Dubium est, quid requiratur, vt testis in iudicium productus veritatem confiteri teneatur? Respondetur ex S. Thoma, *2. 2. quest. 70. artic. 1.* quotiescunque testis in iudicio secundum ordinem iuris examinatur, & interrogatur, tenetur respondendo veritatem confiteri. Et notandum est, quotiescunque certo, & euidenter constat, iudicem esse probum vitum, non est necessarium, vt ostendat testi, se in examinando, vel torquendo procedere, secundum ordinem iuris; quia nemo peccare presumitur, nisi certo, & euidenter confiteri.

Si roges, quid si testis dubitet, an teneatur veritatem respondere, in cuius fauorem debeat tunc inclinare, an in fauorem iudicis; an potius in fauorem rei? De hoc dubio legendus est Sotus in *l. De ratione legendi secretum. memb. 3. quest. 2.* & breuiter dicendum est, si in iudicio agitur de causa criminali, capitali, vel graui, tunc inclinandum est potius in fauorem rei, quam iudicis: si vero causa sit civilis vel criminalis non grauis, tunc inclinandum est potius in fauorem iudicis.

Dubium secundum, An quando iudex procedit per accusationem, vel denuntiationem, vel querelam aliquam porrectam, & solum adsit vnus testis, qui crimen nouerit, productus in iudicium, & interrogatus a iudice, crimen confiteri teneatur contra reum?

Dux sunt opiniones. Vna asserit, eum non teneri, quia, inquit, ad hoc, vt testis teneatur fateri crimen, necesse est, vel semiplena probatio præcedat, vel indicia, vel infamia contra reum. Sic Siluester in *verb. Testis, quest. 8. Et verbo Correctio questione octaua, in fine. Et questione nona, Angelus verbo testis, num. 26. At illa eodem verbo, num. 17. Nauarrus, cap. Inter verba, conclus. 6. num. 222. Et 224.*

Altero opinio asserit, testem esse obligatum, sic Hostien. in *Summa, tit. De testibus cogendis, num. 4.* immo dicit, oppositam opinionem esse temerariam. Sotus *li. 5. De iustitia, quest. 7. art. 1.* Panormitanus, in *ca. Peruenit Et 2. De testibus cogendis.*

In hac re opinio secunda est probabilior, & verior: nam aliud est de teste, aliud de reo, nam contra reum non est interrogandus, nisi præcedat semiplena probatio, vel infamia, vel indicia: at vero testem ius est interrogandi, etiam si ista non præcedant, dummodo iudex procedat per accusationem, denuntiationem, vel querelam ab aliquo porrectam. Item, quia aliqui sæpe manerent crimina impunita. Item, quia iura non distinguunt inter testem, an vna cum aliis crimen nouerit, an vero non, sed in vniuersum constituunt testem, in iudicio productum ad veritatem dicendam.

Item, quia testis eo ipso, quod est testis, habet hanc obligationem distinctam à reo; & iudex posset præcipere, vt quicumque scit veritatem, eam ipsi aperiat. Ergo sicut potest hoc præcipere, ita etiam potest præcipere, vt testificando dicat veritatem, quicumque nouerit eam: item, quia vnus testis facit semiplenam probationem, ex qua iudex ius habet interrogandi reum, etiam per tormenta.

Dubium tertium, Quid sit dicendum, si iudex procedat per inquisitionem generalem, interrogando generaliter, quis commiserit delictum in eo casu, quando illud notorium est, occultus tamen est malefactor, & vnus est, qui nouit reum, & inter alios generaliter interrogatur à iudice, Quis delictum commiserit? An iste tunc teneatur, auctorem criminis detegere? Hoc dubium supra resoluitur, *cap. 16.*

Dubium quartum, Qua lege sit testis obligatus ad veritatem dicendam? Respondetur, vt colligitur ex Sancti Thom. *secund. secund. quest. 70. art. 1.* testem non vocatum à iudice, aliquando obligari ad testificandum ex lege charitatis, nimirum, quando innocens indiget testimonio ipsius, vel ad euitandam mortem, vel famam, vel honorem, vel bonorum temporalium iacturam; quia lege charitatis tenemur nos offerre ad subueniendum proximo grauiter indigenti. Quando vero testis est in iudicium vocatus, & à iudice legitime interrogatur, tunc ex lege iustitiæ tenetur ad veritatem dicendam ex officio, quo in iudicio fungitur.

Ex his sequitur, magnum esse discrimen, si proximus, vt pote Caius, damnum aliquod patiat, ex eo quod Titius omiserit suum testimonium dicere. Nam si Titius solum omiserit, quia non se obtulit ad dicendum, autem quam esset vocatus ad iudicium, cum tamen commode posset se offerre; tunc non tenetur ad restitutionem damni, quod passus est Caius; quia tunc solum peccauit contra legem charitatis. Si tamen omiserit, postquam vocatus est ad iudicium, & in iudicio interrogatus, tunc obligatur ad restitutionem damni, quod sequutum est in Caio; quia tunc peccauit contra iustitiam, & officium suum.

Dubium quintum, An testis semper teneatur ad restitutionem damni, quandoque omiserit contra officium suum, & legem iustitiæ testimonium verum dicere, Verbi gratia, in dicendo testimonio, & in detegenda veritate commisit testis negligentiam aliquam leuem, vel leuissimam, an tunc tenetur restituere damnum inde consequuta? Respondetur, quotiescunque testis officium exerceat, stipendio conductus, vel quacunque alia ratione, ex lege iustitiæ obligatur: tunc obligatur ad restitutionem in foro conscientie, non solum propter dolum, vel latam culpam, sed etiam propter leuem, non tamen propter leuissimam; quia tunc officium exerceat, tam in bonum suum, quam in bonum alterius, & regula est generalis, quam explicuimus in tractatu de restitutione in communi; quando quis officium exerceat in bonum suum, & bonum alterius, eum teneri non solum ex dolo, & lata, sed etiam ex leui culpa, non tamen leuissima. Quando vero, quis exerceat officium testes solum gratis, & solum lege charitatis, tunc solum obligatur ad restitutionem damni in foro conscientie, ex dolo, & lata culpa, non autem ex leuissima, vel leui; quia tunc officium solum est in bonum, & gratiam alterius, vt explicuimus tractatu *Et loco citato.*

Dubium sextum, An si testis occultet veritatem ad euitandum aliquod suum magnum damnum, teneatur ad restitutionem damni, quod passus est alius. Verbi gratia, Caius interrogatus à iudice legitimo, si dicat veritatem probabiliter timeret mortem sui ipsius vel infamiam suam, vel patris, vel fratris, vel filii, vel vxoris, an tunc occultas veritatem, teneatur restituere damnum, quod sequutum est in Titio ex huiusmodi veritatis occultatione? Respondetur, vt colligitur ex Soto in *tract. De ratione legendi*

occident, & omnes sunt concordantes, quod Titius occidit Caium in domo Sempronii, & tali tempore, parum refert, si dissentiant in hoc, quod unus dicat, id accidisse tempore nebuloso, alius tempore sereno; vel in hoc, quod unus asserat fuisse perpetratum in domo Sempronii depicta, alius, non depicta: quia huiusmodi circumstantias, vel accidentia parum, aut nihil curant homines, quantum ad homicidium probandum. S. Thom. 2. 2. *quæst. 2. ad 2.*

Item, si sint multi testes, sed pauciores contradicunt pluribus, iudex, quoad poterit, curabit eos reducere ad concordiam; si non possit, prævalet testimonium plurimum, nisi dignitas personarum pauciorum vincat, vel nisi pauciores dicant verisimilia, & aptiora negotia, aut nisi plura, per eos prohibentur.

Item, si testes sunt numero, & dignitate pares, sententia fertur pro reo, *capitul. Ex litteris, de probationibus*, nisi in causa matrimonii, aut liberatis, & in testamento, & pro dote, *cap. fin. De sententia, & re iudicata*. Si neuter possideret rem, sed uterque ab extraneo petit, tunc diuiditur res, si fieri potest. *cap. asserte, de præsumptionibus*. Si non est possibile, potest iudex dare rem, cui voluerit, *cap. 1. de Parochiis*.

Dubium sextum, Quid sit dicendum, quando testis sibi ipsi contradicit, an standum sit primo eius dicto, an secundo? De hoc Couarruias *lib. 2. variarum resolutionum cap. 13.* & Iulius Clarus *loco supra citato, num. 10.* ubi recenset duas sententias Doctorum, quarum una asserit, esse standum primo dicto, altera vero, esse standum secundo dicto. Sed iuxta Couarruiam, & Iulium Clarum respondetur.

Primo, quando testis dixit unum extra iudicium, & contrarium in iudicio. Bartol. *in l. Eos num. 4. ff. De falso, aut standum esse primo dicto, & obsecundum puniri debere, ut falsum, sed, ut testatur, Iul. Clar. communis opinio ait, esse standum secundo dicto: tum quia est iuramento confirmatum, tum quia est in scriptis solenniter receptum.*

Secundo, quando testis dixit in iudicio unum, & postea extra iudicium reuocavit, standum est primo dicto ob easdem rationes.

Tertio, quando in vno iudicio dixit unum, & in alio iudicio contrarium, tunc dux sunt opiniones Doctorum: nam quidam asserunt esse standum primo dicto, alii 2. Sed Iulius Clarus ait, esse standum primo dicto, tum quia illud præcessit, tum quia solet esse acquiritum ius parti. Hoc tamen intelligitur, si iudicium primum fuerit ipso iure validum; alioquin enim, si iure sit nullum, standum est secundo dicto.

Si quæras, Quid, si testis in vno iudicio dixerit se nihil scire, & in secundo postea testimonium fert de veritate facti? Responderet Iul. Clar. *num. 14.* ex communi opinione, nihil probare, quando in eadem depositione testimonii, & eadem examinatione causa testis est sibi contrarius; si id faciat sine iusta correctionis causa, tunc illi nihil credatur: & hæc est communis opinio, ut ait Couarruias, & Iulius Clarus. Si vero faciat iusta correctionis causa, tunc creditur ei se corrigenti. Quando vero in diuersis depositionibus, vel examinationibus, dicit contraria, aut deponit contrarium in secunda depositione, simpliciter non dicens, se errasse in prima, & tunc si facile reduci potest ad concordiam secundum dictum cum primo ei creditur; si non possit reduci, non creditur ei: aut dicit in secunda depositione, se velle corrigere, quod dixit in prima, & tunc si velit id facere, in continentem admittitur, *in cap. Præterea, de testibus cogen.* Dicitur autem in continentem, antequam testis ipse alloquatur partem: si vero velit corrigere ex intervallo, non auditur, sed debet puniri, ut falsus, & peritius, & standum est primo dicto. Sic Iul. Clar. & Couarruias, ex communi opinione.

Si Roges, Quid, si in primo depositione deposuerit per verbum, credo, & in secunda, exponat per verbum assertiuum veritatis? Respondetur, esse standum secundo dicto assertiuo, ut ait Iulius Clarus ex communi opinione, *num. 16.*

Si secundo quæras, Quid, quando testis in secunda depositione negat, se ita deposuisse in prima, sicut a notario scriptum reperitur, utri sit credendum magis, notario, an testi, si notarius dicat testem ita deposuisse, ut scriptum est? Respondetur, esse magis credendum notario, ut docet Iulius Clarus ex communi opinione, *num. 17.*

Dubium septimum, Quid sit dicendum, quando ex communi catio generaliter fertur contra omnes, qui certam scripturam, vel instrumentum habent, si intra certum tempus non exhibeant, vel edant, & contra omnes, qui sciunt huiusmodi scripturam, vel instrumentum esse penes Titium, an qui sciuerit, teneatur reuelare, sub pœna excommunicationis latæ? De hoc dubio tractat Glossa, *in capit. Caius perpetuus, de fide instrumentorum, & Late Panormitanus, cap. De probationibus, ex quorum sententia notandum est, instrumenta esse triplicis generis: alia sunt communia, alia propria ipsius perentis. Alia propria eius, a quo petuntur. Communia possunt dici multifariam. Aut enim sunt communia, quantum ad proprietatem: ut quia duo, vel tres sunt coheredes, & instrumenta sunt hereditaria. *l. cetera. fin. Et. Si qua sunt ff. Familia hereticunda:* siue eis parte donata, vel legata, vel communia pecunia empta, vel alio quocunque modo communia vtriusque, quantum ad proprietatem. Et hæc instrumenta possunt ex causa peti, ut edantur, velut in *supradictis legibus statuitur & in cap. Cuius perpetuus, de fide instrumentorum, & lib. 1. ff. De edendo.* Aut dicuntur communia ex natura negotii; ut quia sunt gesta ab exercente aliquid officium, vel artem, qualis est tutor, curator, procurator, administrator, qui ex obligatione officii libros conficiunt, in quibus omnia sunt officii negotia scribunt: & istis mandatum est, ut edant instrumenta, cum petuntur, *l. Quaedam ff. De edendo, & l. 1. c. De edendo.* Similiter etiam, qui exercent aliquam artem, & ex consuetudine conficiunt libros in publico, tenentur edere eos, cum ex causa petuntur: secus est de his, qui in secreto, & in domibus suis libros priuatos conficiunt, in quibus scribunt ad suam instructionem, & memoriam: isti enim ex iure civili non tenentur libros edere. At vero ex iure canonico *in Clem. 1. §. Caserum, de usur.* tanquam quid speciale statuitur, ut usurarii, excentes usuram, teneantur libros suos edere. Quandoque communia instrumenta dicuntur, propter manum in eis contentam, licet charta non sit communis, nec ex se, nec ex natura negotii. Erant, aut sunt penes notarium, qui conficit, aut penes partem. Si penes notarium, ea notarius tenetur edere, solura sibi debita mercede: ad hoc enim tenetur ratione officii. *cap. Quoniam contra, de probationibus, & l. Si quis ex argentarius. §. Pertinere ff. de edendo.* Si sint penes partem aduersam, tunc aut sunt originalia, & obligatio est ea edendi; quia illa sunt communia ex hoc, quod sunt originalia: aut sunt transcripta, & exemplata propria pecunia partis, & illa dicuntur propria, quantum ad proprietatem chartæ. Item quando instrumenta sunt propria ipsius perentis, tunc debent edi, quando ex causa petuntur; possunt enim tanquam propria vendicari, & potest agi ad exhibendum ea. *l. fin. c. ad exhibendum.**

Item, quando instrumenta sunt propria ipsius, a quo petuntur, tunc aut petuntur ex parte eius, qui reus est ab ipso actore ad exceptionem fundandam: & tunc communis est opinio, quod debeat edi. *fin. c. De edendo.* Aut petuntur ex parte actoris a reo, & tunc aut reus est illis usurarius, & tunc tenetur edere, *lib. 1. §. Edenda. ff. De edendo, præsertim, quando ad illam partem, qua vititur, cap. Contingit, de fide instru-*

mentorum, & cap. Cum persona, de privileg. in sexto. Aut non est reus illis vitus, & tunc aut petit actor ad intentionem suam fundatam adiuvandam, tunc & obligatio est, ea edendi, V. g. Ego peto à te fundum Sempronianum, quem mihi vendidisti: fundavi intentionem meam, quod mihi vendidisti, nunc est tuis, quatenus ille fundus extendatur. Ideo cogitur reus edere sua instrumenta, cum ego non petam principaliter ad impugnandum, sed ad intentionem meam fundatam adiuvandam. Aut petit actor à reo ad replicationem suam fundandam, & tunc etiam cogitur reus instrumenta sua edere; quia sicut actor tenetur edere reo ad exceptionem probandam, sic & reus tenetur actori edere ad replicationem suam fundandam; quia replicatio est quaedam exceptio exceptionis. Aut petit actor ad intentionem suam probandam, & tunc regulariter, & ordinarie reus non tenetur edere sua instrumenta. Sibi enim imputet actor, si quidem in principio debuit praevidere, & diligentiam adhibere: excipitur tamen fideus, cui licet sit actor, tenetur reus edere sua propria instrumenta ad intentionem suam fundandam. *l. Ne quisquam ff. De edendo.* Et hoc intelligitur in civilibus, non tamen in criminalibus.

Idem etiam dicendum est in causa matrimoniali. Verbi gratia, ergo contraxit cum Titia, quae dicitur habere aium maritum, & in iudicio peto divorcium ab ea: iure possum petere, ut exhibeat instrumenta primi contractus, vel instrumenta dotalia, quae scitur, vel probabiliter creditur habere. Idem etiam dici potest, teste eodem Panormitano, in dotalibus, in alimentis, in legatis ad pias causas, in Ecclesiis, in hospitalibus, & aliis favorabilibus, saltem, ubi non adest copia probandi, nec adest notarius habens originale. Ex dictis sequitur resolutio supra propositi dubii.

Dubium octavum, Quid sit dicendum ex iure de numero testium necessariorum in quolibet causa: De hoc dubio Siluester, *verbo testis, quasi 5.* Ex breviter dicendum.

Primo regulariter vnus testis non sufficit ad plenam probationem, nisi in certis casibus.

Primo, in Papa, *Nobis, de testamentis*, & ex consuetudine curiae statuti dicto Cardinalis in dictis, vel factis coram eo.

Secundo, in his, in quibus non sit alteri praeiudicium, ut puta, an Ecclesia sit consecrata, an aliquis sit baptizatus, vel confirmatus, an petierit confessarium, *De consecr. dist. 4. cap. Parvuli.*

Tertio, ubi agitur ad peccatum impediendum, vnde vnus testis impedit matrimonium contrahendum.

Quarto, in foro conscientiae, ut puta, cum quis dicit se confessum esse, nisi probabilis coniectura sit de contrario.

Quinto, ex consensu partium, cum etiam testimonio aduersarii dari possit. *l. fin. C. De fidei com.*

Sexto, quando testator mandauit dari dicto alicuius, quem informatum dicit ex sua intentione.

Septimo, cum queritur, an aliquis sit emendatus; statuer enim dicto Sacerdotis.

Octavo in correctione fraterna, quia priuata correctio per vnum testem probatur.

Secundo, in aliquibus causis requiruntur plures testes, quam duo: in testamentis ex iure civili requiruntur septem, licet in legatis ad pias causas sufficiant duo: in codicillis, requiruntur quinque. *C. De codicillis. l. fin.* In donationibus causa mortis quinque, *l. fin. C. De donationibus causa mortis.*

Item, quando debitor vult probare debitum solutum, quod factum erat in scriptis, *l. Testium, C. De donationibus causa mortis.*

Item, ad reprobandum instrumenta, requiruntur quinque, vel quatuor meliores. De rescriptis in instrumento *Gloss. in cap. Ioannes. De fide instrumentorum.*

Item, in pecunia deposita, requiruntur tres, *Authent. De fide instrumentorum. §. Si quis igitur, collat. 6.*

Tertio, in reliquis causis, ex iure communi regulariter, & ordinarie requiruntur, & sufficiunt duo testes.

Dubium nonum, An testes precium accipientes pro testimonio ferendo, teneatur restituere illud precium, tanquam lucrum turpiter acquisitum? Respondetur, resolutionem huius dubii colligi ex his quae diximus in *tr. aff. De restitu. in communi. par. 2. cap. dub. 2. §. 3.* Sed est notandum, licet testes possint exigere expensas, & lucrum cessans suarum operarum ab eo, qui producit illum in testem.

Dubium decimum, Testes quomodo teneatur restituere ex eo, quod falsum testamentum prohibuit? Respondetur, si alium laesit, tenetur restituere, omne damnum, quod intulit: Si vero a nemine laesit, nihil tenetur restituere, nec tenetur iuramentum retractare, nisi quatenus alium laesit, aut quatenus eius dictum probabiliter creditur nociturum alteri, & consequenter, si totum damnum, quod intulit restituerit, ad nihil amplius tenetur, quamuis falsum dixerit, ut docet Nauarr. *tom. 1. consuetudinum tit. De testibus consil. 1.* Quo modo vero teneatur restituere, ex culpa vel negligentia leui, vel leuissima, diximus *supra. c. 23. dub. 1.*

Notandum est, testem falsum in iudicio aliquando deponere contra vitam innocentis, aliquando contra famam, aliquando contra honorem, vel contra bona temporalia illius. Si testis falsus deposuit contra vitam innocentis, ita ut innocens sit in periculo perdendi vitam, tunc tenetur testis retractare dictum suum, ut ait Sotus, *lib. 4. De iustit. q. 6. art. 3. in argumento 4.* Et ratio est, quia tunc innocens est in periculo mortis ob iniustitiam, à teste factam contra illum, & cum in ceteris vita vitiosae sit par, maius est ius penes innocentem falso accusatum, quam penes testem: ergo testes etiam cum periculo vitae suae tenentur retractare dictum, & sibi imputet, si periculum subire vitae suae.

Si dicas, Quid si testis falso deposuit, & sunt alii etiam testes, qui falso deposuerunt; quod si retractet dictum suum, ceteri minime retractabunt, an etiam teneatur huiusmodi testis reuocare dictum suum? Ratio dubitandi est, quia retractando nihil proficit, cum ceteri non sint retractaturi & se exponit periculo mortis.

Ex alia vero parte videtur esse obligatio reuocandi dictum, quia singuli testes tenentur in integrum retractare se. Respondetur, huiusmodi testis falsus, nimirum Titius, si commode potest sese in tuto loco constituit, & ex eo loco reuocare dictum suum, obligatur, ad id; quia tunc non se exponit periculo mortis, & ex alia parte tenetur in solum ad retractandum.

Nec obstat, quod retractatio ipsius non sit profutura; cum ceteri falsi testes non reuocent; qui saltem innocens non occidetur ex testimonio ipsius, facta reuocatione, sed occidetur ob testimonium aliorum, & ita quilibet tenetur in solum retractare, ne occidatur innocens ex testimonio ipsius.

Si vero commode non se possit in tuto constituere, etiam tunc nihilominus obligatur ad retractandum, quantumuis ceteri non retractent, & quantumuis manifestum mortis periculum incurrat; quia potior est causa innocentis, quam falsi testis.

Si testis deposuit contra famam innocentis, ne teneatur ad restitutionem famae cum periculo vitae suae, *uti diximus in tractat. De delictis.* Citra periculum vero vitae teneatur ad restitutionem famae, & ad damna omnia, sequuta ex fama iniuste ablata.

Idem dicendum est, si testis deposuit falso contra honorem, vel contra bona temporalia innocentis.

Dubium undecimum, An si iudex contra ius extorqueat à teste secretum erimen, possit ulterius procedere. De hoc dubio agit Sotus in *tractat. De ratione re-*

Genali secretum, memb. 3. quæst. 1. Concl. 1. & asserit generaliter, quod testem que iudex contra ius extorquet secretum delictum, non posse licite eum ulterius procedere, & probat, quia cum extorserit crimen contra ius, si ulterius procedat, perseuerabit in irrogatione iniuriæ. Hæc Sorus.

Sed aliqui sunt casus, in quibus iudex licite potest ulterius procedere.

Primus est, si per leues aliquas minas extorqueat crimen a teste, vel reo, quia sibi impuret testis, vel reus, si licite tantum iudice minante prodiderit crimen.

Secundus casus est, quando per graua quidem tormenta iudex extorquet indicia sufficientia, vel alios testes a reo, vel teste. Nam licet Sorus in hoc casu sit dubius, videtur tamen; probabilius posse iudicem ulterius procedere; quia alioqui si non procedat, scandalum, & offensio populi sequeretur, cum iure dici possent impunita manere delicta ob negligentiam iudicis. Item licet iudex peccauerit in extorquendo indicia, vel testes; his tamen parafactis, non peccat ulterius procedendo, quia secundum ius procedit ulterius.

Tertius casus est, si contra reum detecta sunt indicia, vel testes, non quidem per iniuriam iudicis, sed per iniuriam alterius prodeus illa: quia tunc iudex habet sufficientia indicia, & testes, ex quibus procedat secundum ius, licet alius peccauerit in prodendo.

Quartus casus est, quando secundum allegata, & probata in iudicio, per testes falsos aliquis, qui reuera est innocens, probatur reus: nam iudex, ut persona publica debet procedere secundum notitiam publicam, quam habet ex allegatis, & probatis in iudicio, & non secundum notitiam priuatam.

Dubium duodecimum, *Quæ sit pœna testis falsi?* Respondet Baldus, eam esse pœnam duntaxat rationis. *l. 1. ff. Ad legem Cornelianam de sicariis.* Testis autem falsus dicitur, qui iuratus, & examinatus, falsum deponit in iudicio. Nostro vero tempore desit esse in usu pœna rationis, & puniuntur falsi testes pœna arbitraria, immo sæpe impuniti manent cum graui detrimento aliorum. Si quæras quando testis dictum est obsecrum, vel dubium, in cuius fauorem illud interpretandum sit, & contra quem? De hoc dubio agit Glossa *in c. In presentia, De probationibus*, ubi ait, regulariter, & ordinarie esse interpretandum in fauorem rei id colligit Glossa *ex cap. ex literis, de probationibus*, & melius *ex cap. Inter dilectos, de fide instrumentorum* & ratio id probat, quia is, qui accusat, vel deponit testimonium ad probandum, eo ipso tenetur clare loqui, alioqui sibi impuret. Dicitur vero regulariter, & ordinarie: quia sunt aliqui casus, in quibus, quando res est dubia, iudicatur contra reum. V.g. In testamento in officioso semper iudicatur in fauorem testamenti: item in causa matrimoniali, semper iudicatur in fauorem matrimonii: in causa libertatis, in fauorem hominis liberi: in causa possessionis, in fauorem possidentis; quia melior est conditio possidentis. In dotibus, in alimentis, in legatis piis, & in ceteris causis piis, semper iudicatur in fauorem pietatis. Hæc Glossa *in cap. Inter dilectos de fide instrumentorum.*

De peccatis, quæ committuntur ex parte
Aduocati.

CAPV XXIX.

TAM in iure civili, quam Canonico extat titulus de postulando, i. aduocando. Aduocatus dicitur is, ut colligitur ex Abbate *c. 1. De Postulando*, qui in iudicio apud eum, qui iurisdictioni præest, desiderium suum, vel amici exponit, vel alterius desiderio contradicit, *sic habetur l. 1. ff. de postulando* & *3. q. 7. c. infames*. Vnde qui priuatim domi suæ alterum consilio iuvat, non dicitur proprie aduocatus, nec is, qui prohibitus fuerit aduocare, censetur domi suæ priuatim consilium dare, etiam per allega-

tiones iuris in scripto datas, ut ex Abbate, & Bartolo tradit Siluester *verbo Aduocatus, nu. 1.* item aduocati dicitur, qui causis agendis quoque studio operantur, *l. 1. præf. ff. de variis, & extraordinariis cognitionibus.*

Dubium, qualis debeat esse aduocatus, ut idoneus esse censetur? Respondet, falli Glossam *in l. 1. ff. De postulando* asserentem non esse necesse, ut sciat literas, quia nec est etiam necesse, ut iudex literas nouerit. Communiter tamen huiusmodi Glossa reuocatur. Aduocatus enim debet iuris, & legum peritiam habere; vnde nemo admittitur ad munus aduocandi, nisi quin quennio iuri studuerit, & examinatus fuerit. Et longe aliud est de iudice, qui potest esse iuris prorsus ignarus, eo quod satis est in iudice, ut assessorem habeat iuris peritum: aduocatus autem necesse est, ut per seipsum, & non per alium suo munere fungatur.

Dubium secundum, *Quis sit iure prohibitus ab officio aduocati?* Respondetur esse prohibitus omnem paganum, item excommunicatum *primo quæstione prima, capite primo* & *cap. Excommunicatus De hæreticis*. Item est prohibitus omnis regularis, nisi pro monasterio, vel religione sua ex mandato Prælati id faciat. Item prohibetur omnis clericus in sacris constitutus, vel etiam in minoribus, si beneficium Ecclesiasticum cum habeat, coram iudice seculari, cap. clerici *De postulando*: excepto nisi id faciat in causa propria, vel suæ Ecclesiæ, vel suorum cognatorum, qui in hoc casu intelliguntur vsque ad quartum gradum, vel miserabilem personarum in causa civili, non criminali, & quando alius non est, qui pro ipsi aduocet.

Estigitur notandum, Episcopum in nullo casu coram iudice seculari posse esse aduocatum: coram Ecclesiastico vero posse esse in quatuor casibus prædictis. Item sacerdos coram Ecclesiastico iudice potest aduocare etiam in civilibus causis secularium, coram iudice vero seculari non potest, nisi in quatuor causis prædictis. Diaconus vero, vel subdiaconus potest esse aduocatus coram iudice Ecclesiastico in quibuscunque causis civilibus secularium: coram iudice vero seculari non potest, nisi in quatuor casibus prædictis, aut nisi causa tractetur Ecclesiastica. Dicitur autem Ecclesiastica in hoc casu, vel ratione personæ, ut quando clericus sequendo forum rei, litigat coram iudice seculari: vel ratione delicti, vel quia est sacrilegium: vel ratione rei, vel quia res est Ecclesiæ. Siluest. *verbo Aduocatus, quæstione secunda, vers. 3. & 4.* Item prohibetur esse aduocatus iudex, vel assessor in ea causa, in qua est iudex. Item prohibetur omnis infamis, & qui est ob crimen damnatus.

Dubium tertium, *Quomodo aduocatus suum munus exercere tenetur?* De hoc Siluester *verbo Aduocatus, quæstione nona*, & Sorus *libro quinto De iustitia, quæstione octaua, articulo secundo*. Aduocatus in primis licite non potest uti falsis instrumentis, aut testibus, aut legibus, aut probationibus, aut allegationibus: nec potest querere dilaciones non necessarias cum detrimento alterius partis: potest tamen prudenter occultare ea, quæ possent iuuare aduersarium, vel impedire processum.

Si quæras, an peccat mortaliter, cum defendit causam iniustam Respondetur peccare. Sic S. Thomas *2. 2. quæst. 71. art. 3.* Sorus *lib. 5. De iustitia quæst. 8. art. 3.* Siluester *verbo Aduocatus, quæst. 10. Nauat. cap. 2. nu. 28.* Item obligatur ad restituenda damna parti, contra quam causam, defendit, & etiam damna clientis, cuius causam defendit, si eum de causa iniustitia non admonuit.

Si secundo roges, *Quid quando defendit causam, quæ licet certo, non videat esse iniustam, non tamen esse minus iustam, quam sit causa partis aduersariæ?* Respondet Sorus loco citato, eum distinctione, si defendit causam minus iustam contra reum, & causa sit, vel mortis, vel sanguinis, vel famæ, vel honoris, vel honorum, in quorum possessione aduersarius est, ingens esse scelus, quia contendit aduersarium minus iuste vita priuare, honore, vel

fama, vel suorum bonorum possessione: si tamen defendat in eisdem casibus minus iustam causam rei contra auctorem, tunc nullum esse peccatum, quia pius est, reum dummodo non sit perniciosus; defendere à morte, etiam cum minori iustitia. In aliis vero causis minoris momenti, etiam contra reum defendere minus iustam causam, non esse peccatum, sed certe probabilius est semper esse peccatum, si putet magis iniustam, quam iustam, vt ait Nauarrus, *cap. 25. num. 28.* ex Antonio de Butrio, in *e. Breui. de iure iurando.*

Tertio, si quæras, Quid quando initio bona fide cœpit defendere causam iustam, sed in ipso progressu animaduertit esse iniustam? Respondetur ex S. Thoma, & aliis supra citatis, debere illum causam defendere, vel eum, cuius causam agit, inducere ad cedendum, vel ad cœcordiam cum aduersario, sine damno tamen ipsius aduersarii: non tamen debet aduersario causæ iniustitiam prodere, aut secretum detegere, quia hoc esset ipsum in causa iurare contra clientem, quod est contra naturam secreti.

Quarto, si quæras, Quid quando scit causam esse dubiam ob varietatem opinionum inter Doctores, aut ob diuersos sensus, & interpretationes legum, ex quibus causa est decidenda? Respondetur, posse licite tunc eam defendere. Sotus, Siluest. Nauarrus *loci citatis.* Ratio huius rei est, quæ satis est, vt sequatur in hoc opinionem probabilem Doctorum, vel legum. Debet tamen partem, cuius causam agit, de dubia causæ iustitia admonere, vt si pars admonita voluerit, persequatur, si minus, causam defendat.

Si obiciat, Medicus, quando dubius est de remedio, an sit ægroti nociturum, nec ne, non potest licite præbere illud ægroti: similiter miles dubius de iniustitia belli, non potest se locare ad bellandum; & subditus cum dubius est, an sit mortale peccatum, parte in eo, quod iubetur, non potest obedire: ergo aduocatus dubius de iniustitia causæ, non potest licite eam defendendum suscipere. Respondetur, aliud esse in exemplis adductis, quia in illis se exponit medicus, miles, vel subditus periculo peccandi, & in huiusmodi dubio, quod certius est, & tutius, tenendum est: at vero in casu nostro aduocatus dubius est propter varias opiniones, quæ cum singulæ sint probabiles, tuta conscientia potest vnam earum sequi sicut Rex illaturus bellum alteri Regi, quia dubitat de iniustitia, consultit bonos, & doctos viros, inter quos deprehendit esse varias opiniones, sed singulas earum probabiles; potest licite bellum inferre, se quando opinionem probabilem doctorum. Non enim ad aliam diligentiam maiorem tenemur, quam consulere viros doctos, & pios. Est tamen notandum, aliud esse, si dubius sit aduocatus, an licitum sit ei causam sui clientuli defendere, an non: nam in hoc casu non est licitum ei defendere. Generaliter enim verum est, quotiescumq; dubito, an licite possim aliquid agere, an non, interim dum dubium non deponitur, non posse me id agere.

Dubium quartum, in quibus casibus peccet aduocatus, quando ex ignorantia defendit causam iniustam? Respondetur, esse considerandum, an ignorantia sit inuincibilis, an vero vincibilis. Nam si adhibita diligentia, putat causam esse iustam, tunc inuincibilis est ignorantia: & proinde nullum est peccatum: si autem non est adhibita debita diligentia, tunc non excusatur à culpa.

Dubium quintum, ex qua culpa teneatur ad restitutionem, cum defendit causam iniustam? Respondetur, quid sit in foro exteriori, in quo ob præsumptionem potest aliquis condemnari ad restitutionem damni, etiam ex leuissima culpa; in foro conscientie aduocatus non tenetur ad restitutionem damni ex leuissima, vel leui culpa sed tantum ex dolo, vel lata culpa, vt ait Siluester, *verbo, Aduocatus vigesima quarta*, vbi pro hac sententia citat alios auctores. Et ratio est, quia officium aduocati est in gratiam & bonum, non suum, sed alterius; & ideo secundum leges, non tenetur ex culpa, nisi quando lata fuerit,

Obiciat, Aduocatus ob causam, quam defendit, mercedem & stipendium accipit, ergo exercet officium, etiam in bonum suum: sed diximus in tractatu de restitutione, in communi, quando aliquid fit in gratiam vtriusq; esse obligationem restituendi damnum, ex leui culpa secutum, non ex leuissima: Respondetur, illud esse intelligendum in contractibus, qui sunt in gratiam vtriusque contrahentis, vt est in deposito, & custodia, quando sunt ex mercede: sed inter Aduocatum, & suum clientem non est contractus, sed solum est officium, quod præstat aduocatus client suo ex mercede.

Dubium sextum, An lege misericordie & charitatis teneatur aduocatus gratis defendere causam pauperis non habentis, vnde soluat mercedem? Respondet S. Thomas, *2. 2. quæst. 71. artic. 1.* aliquid teneo, quia hoc opus est misericordie: ergo sicut pauperi, alimur et corporali indigenti extreme, tenemur succurrere, sic etiam pauperi, extreme indigenti. Item sicut esset peccatum in medico, nisi subueniret ægrotanti, extreme laboranti, nec habenti, vnde soluat mercedem: sic etiam esset peccatum in aduocato. Sed tota difficultas est, in quo casu censetur aliquis simpliciter indigere aduocato patrocinio. Respondet S. Thomas *loco citato*, esse quando non est alius in promptu, qui id faciat, sicut si non esset, qui mederetur ægrotanti, aut non esset, qui cibaret clientem. Verum contra hoc posset quis dubitare, quando censetur quis carere patrocinio, sibi necessario, & quando intelligatur esse alius, qui possit succurrere in promptu, nam si alius iam succurrit, amplius non indiget subsidio: si vero non succurrit, non est maior ratio, cure ego ad id teneat potius, quam alius. Respondetur, tunc alius censetur adesse, qui possit in promptu subuenire, quando est de proximo coniunctus indigenti. V. g. est captiuus aliquis indigens simpliciter redemptione, vel est ægrotus indigens simpliciter cura medici: habet patrem, vel fratrem, vel tutorem, qui eam indigentiam nouit, & potest, si velit commode subleuare: tunc ego, excusor à subleuando, quia tunc est alius, qui possit in promptu subuenire, vt recte docuit ibi Cæcilianus. At vero, quando non est propinquus, qui possit in promptu subuenire, licet multi alii sint extranei, qui possint, si velint, succurrere: tunc ego, & illi æque principaliter tenemur in solidum, hoc est, si alius non succurrit, ego teneo.

Item si indigentia pauperis, prius mihi occurrat, quam alteri, tunc ego teneo, hoc enim est plures esse obligatos in solidum, & æque principaliter. Vnde in dubio proposito similiter est dicendum. V. g. si Titius pauper indiget patrocinio aduocati, & ad sit pater eius, vel frater, vel filius, qui possint commode ei officium aduocati præstare, tunc nemo alius aduocatus tenetur ei gratis patrocinari. Si vero ceteri aduocati sint etiam extranei, tunc quilibet per se tenetur in solidum, & æque principaliter subuenire.

Dubium septimum, in quibus casibus peccet aduocatus, stipendium petendo, & id quibus possit illud licite petere? De hoc Siluester *verbo Aduocatus, quæstione decima septima*. Nauarrus, *capite vigesimo quinto, nu. 30.* Tunc peccatum est, quando stipendium exigit, vel de eo, quod sibi non est debitum, vel maius eo, quod sibi non est debetur. Quantum vero debeat esse, certo designati non potest: sed considerandæ sunt circumstantiæ rei, locorum, temporum, & personarum. Nam pro qualitate negotii, causæ, laboris, peritæ, curæ, & industria aduocati, taxandum est stipendium. Item habenda est, ratio consuetudinis, loci, vel provincie. Item conuentio non est faciendâ in medio litis, sed vel ante inceptam litem, vel post finitam, *cap. Infames, Præterea, 3. quæ. 7.* Cæterum hoc intelligitur ob vitandū scandalum, & ob præsumptionem in foro exteriori, non in foro conscientie: peccatum non erit, si absque vi fraude, & dolo petatur etiam in medio litis.

Dubium octauum, An possit aduocatus licite pacif;

de cer-

tim monendo, speramus commode, & sufficienter fratrem emendandum, non possumus licite peccatum fratris Pre-lato detegere. Hæc tamen intelligenda sunt, quando firmiter, ac certo credimus, per nostram priuatam diligentiam damnum impediendum fore, vel nisi aliunde ad reuelandum ex peculiari iure teneatur, vt supra dictum est.

Dubium sextum, An Titius medicus rogatus a superiore, possit licite secretum aegroti detegere. Item dubium est de chirurgo, aduocato, consiliario, procuratore; quorum est, scire secretum clientuli, aegroti, vel eius, qui consilium petit. Hoc dubium dissoluimus *supra*, ca. 24. *sub* 2.

Dubium septimum, An familia, siue ex familia aliquis detegere teneatur secretum domini sui, quando id exigit alicuius superioris preceptum? Respondetur ex Silu. Angelo, T. b. i. c. 2. *in verb. familia*, quando secretum est delictum, & superior intendit criminaliter procedere, non tenetur. At vero, si tantum civiliter procedat, aut non sit delictum, tunc obligatur. Et hoc intelligitur, dummodo ex hoc nullum sibi malum, vel incommodum alicuius momenti imminet; nullus enim tenetur cum graui suo detrimento procurare bonum temporale alterius.

Dubium octauum, An famulus, qui domino iurauit se denuntiaturam ei, si quem seruitur eius bona furtiuisse, teneatur seruare iuramentum? Respondent aliqui, si dominus est durus, & fera naturæ, & probabiliter creditur crudeliter processurus contra furem illum, tunc illicitum fuisse iuramentum; si vero non creditur, ita processurus, sed prudenter, & rationaliter; tunc distinguendum est nam si res sublata sit sub eius custodia, potest licite hinc minere detegere: si autem res non est eius custodia commissa; tunc aut potest probare, aut non potest: si non possit, tunc detegere furem non potest, nisi ei, qui possit, prodesse, & non obesse: si vero possit probare, tunc potest licite detegere. Sic Angelus, Siluester & Tabiena *loc. citato*. Vnde colligunt, quid sit dicendum de syndicis, & aliis, qui in synodis Episcopalis deputati solent ad detegenda delicta secreta. Nam si ea, probare non possint plene, vel semiplene, non tenentur denuntiare, licet possint detegere ei, qui potest prodesse, & non obesse: si vero possint probare plene, vel semiplene, tunc detegere tenentur.

Dubium nonum, Vtrum Titius peccet mortaliter, si vi mentorum, aut probabili meru mortis detegat secretum, quod vergit in perniciem ciuitatis, Principis, exercitus, & commun-tatis cuiuscunque? respondetur ex Soto, & Nauarro esse considerandum ex parte damni, quod timeret futurum, an vergat in detrimentum, graue communitatis, an vero solum sit damnum leue. Item, an solum vergat in damnum priuatum alicuius innocentis. Ex parte vero Titii, qui secretum nouit esse considerandum, an subeat probabile periculum mortis; an vero solum iacturæ bonorum temporalium: nam si damnum vergit in grauem perniciem communitatis, tunc tenetur Titius etiam tormenta pati, & mortis periculum subire ob seruandum secretum. Vnde milites seruare secretum tenentur, quod vergit in grauem perniciem exercitus, vel Ducis, aut Imperatoris: si vero solum vergat in leue detrimentum, tunc non tenentur, vt mentorum, aut cum probabili periculo mortis, ad celandum secretum, quia maius vinculum est, quo tenentur nostram vitam conseruare, quam impedire leue detrimentum communitatis. Item, si solum vergat in damnum priuati innocentis, tunc non tenetur Titius celare secretum, si grauius torqueatur, aut incurrat periculum mortis; quia non tenemur cum tanto nostro detrimento

impedire malum proximi, nisi Titius contra iustitiã extorserit secretum alterius, & ob hoc incurrat ille alius periculum mortis: nam tunc teneretur Titius celare secretum ad liberandum innocentem ab iniusto periculo mortis; etiam si ipse Titius subeat periculum vitæ, quoniam cum extorserit secretum contra iustitiam, maior est obligatio tuendi vitam innocentis, quam propriam.

Dubium decimum, In quibus casibus in crimine secreto socius teneatur socium detegere, & in quibus celare? Hoc dubium dissoluimus *supra*.

Dubium vndecimum, In quibus casibus testis teneatur detegere secretum, aut celare. Hoc dubium diluimus *supra* cap. 24. *cum de teste ageretur*.

Dubium duodecimum, quando reus in iudicio rogatus teneatur delictum suum, aut sociorum scire, vel occultare? Hoc dubium tractauimus *supra*, cap.

Dubium decimum tertium, quomodo in correctione fraterna sit detegendum, aut celandum secretum? Hoc dubium resoluimus *supra* in quarto precepto decalogi, *cum tractaretur de constitutione fraterna*.

Dubium decimum quartum, quibus in casibus iudex possit licite interrogare reos de criminibus secretis, aut de sociis in crimine. Item, quibus in casibus possit interrogare & examinare testes de secretis delictis? De hoc dubio egimus *supra* cap.

Dubium decimum quintum, An si Titius absq; animo confitendi sacramentaliter, dicat presbytero: Hoc si tibi dico in confessione, sit secretum confessionis sacramentalis? Respondetur huiusmodi secretum non esse sacramentale nec habere maiorem aliam obligationem, quam alia secreta extra confessionem commissa, quoniam scilicet presbytero dicitur secretum absq; intentione confitendi sacramentaliter peccata, & recipiendi sacramentalem absolutionem, etiam si id fiat genibus, flexis, & cum signo crucis. Hoc colligitur ex Cater 2. 2. q. 70. ar. 1. & ex Soto in lib. de ratione tegendi secretum memb. 2. q. 7. ar. 1. & Nauarro in Manuali. c. 18. num. 53.

Dubium decimum sextum, Quid sit dicendum de iis, qui aperunt, aut legunt literas ob signatas alicui, non sibi commissas, aut scripturas alienas que in secreto asseruantur? Respondetur, Primo si id faciant animo nocendi grauius; tunc peccatum est mortale, & idem est, si id faciant cum graui detrimento aliorum. Item, si aduertant, vel debeant aduertere, inde posse sublequi damnum alicuius momenti in aliis. Secundo tantum erit veniale peccatum si quis aperiat, vel legat non ex lata culpa, siue negligentia, vel imprudencia, sed tantum ex leuissima, vel leui, putans, literas sibi missas, vel nullum inde damnum securum. Idem erit si aperiat, vel legat, ob leuem tantum curiositatem, vel studio sciendi res nouas, vel causa ridendi, aut delectationis alterius, dummodo absit animus nocendi, & periculum detrimenti notabilis. Tertio, licite potest quis aperire literas, & legere si id faciat ex consensu rativo, vel expresso eorum, ad quos literæ diriguntur, vel auctoritate legitima. Quarto, quando quis timeret sibi periculum alicuius damni notabilis, epistola tunc licite potest aperire, & legere, non animo nocendi, sed vt proprium periculum caueat, vt recte docet Nauarr. ex B. Antonino in Manuali. c. 18. nu. 53. vnde literæ hostium in exercitiis militibus licite intercipiuntur aperiuntur, & leguntur. Idem est, si quis intercipiat literas illius, cum quo inimicitias gerit capitales.

